



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Tractatvs Decimvs Nonvs. De præsentia Christi in eucharistia, ac de
transubstantiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

aqua debeat esse maioris quantitatis, quam vinum, quæritur, quam proportionem debeat habere cum vino? Concilium Tridentinum cap. 19. dicit, quod duæ partes debeat esse vini, tertia aquæ. Verum, cum Concilium Florentinum dicat admiscendam esse aquam modicissimam, debet admisceri minus aquæ, quam sit tertia pars, vt etiam ostendit vsus communis. Non potest igitur absolute determinari, quam proportionem debeat habere aqua respectu vini, sed sufficit asserere, quod debet esse modicissima, adeoque non potest peccari per defectum, dummodo admisceatur aliquid aquæ sensibilis, potest peccari per excessum, si tantum aqua infundatur, vt non possit dici modicissima respectu vini. Quia verò Christus actionem miscendi aquam vino, ac dandi discipulis, non fecit vt actionem quamdam communem, & indifferentem, sed vt actionem sacram, & mysticam, adeoque ea attentione, ac reuerentia, vt discipuli aduerterent, quod faciebat actionem sacram, & mysticam, verisimile est, quod admiscuerit aquam vino, non in ea quantitate, qua solebat aquam admiscere ad vinum temperandum, sed prout postulabat illa actio mystica, adeoque, quod aquam modicissimam admiscuerit.

12. Aqua vino misceri debet tempore sacrificij, adeoque non sufficit, vt mista fuerit ante tempus sacrificij. Ratio est, quia hæc mistio debet esse ceremonia sacra. Secundò hæc mistio debet fieri ante consecrationem. Tertio debet per se fieri tempore præscripto in missali Romano, ac seruandæ sunt consuetudines ecclesiarum. Quarto si quis non admiscuerit aquam tempore debito, & aduertat defectum ante consecrationem, debet saltem ante consecrationem aquam miscere. Quinto demum si post consecrationem aduertat se aquam non permiscuisse, non debet amplius miscere. Ratio est, quia aqua non debet misceri sanguini, sed vino consecrando; sed post consecrationem non miscetur vino, sed sanguini; ergo &c.

13. Durandus dicit solum sacerdotem debere aquam vino miscere, ac Ledesma quaestione 15. artic. 7. dub. 3. addit eundem sacerdotem, qui sacrificium offert, debere aquam miscere vino. Dicendum tamen, quod neutrum est absolute necessarium, siquidem in missali Romano præscribitur, vt in missis solemnitibus subdiaconus infundat vino aquam à sacerdote benedictam. In hoc igitur seruandæ sunt consuetudines ecclesiarum, & rubricæ missalis Romani, ideoque communiter in missis priuatis ipsemet sacerdos debet aquam vino miscere, in missis solemnitibus subdiaconus debet hoc munere fungi.

TRACTATUS XII

De præsentia Christi in eucharistia, ac de transubstantiatione.

QVÆSTIO CXXXVII

Virum Christus sit verè, & realiter in eucharistia, & talis præsentia probatur ex verbis ipsius Christi

S. Tb. qu. 75. art. 1.

1. Videtur Christus non esse verè, & realiter in eucharistia, sed in ea esse solum figuratiuè, & tamquam in signo; prout quia Ioannis 6. cum Dominus dixisset manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis multi audientes ex discipulis eius, dixerunt, durus est hic sermo, quibus Christus dixit: Spiritus est qui vivificat: caro autem non prodest quidquam, quasi diceret, vt explicat Augustinus in psalmum spiritualiter intelligite quæ locutus sum. Non enim corpus, quod videtis, manducaturi estis &c. Sermonem autem, quod vobis commendaui, spiritualiter intellectum vivificabit vos; caro autem non prodest quidquam ergo &c.

2. Secundo Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 16. explicans eadem verba, nisi manducaveritis carnem filij hominis &c. dicit: Facinus, & flagitium videtur inbere. Figura est, præcipiens passionibus Domini esse commemorandum, & suaviter, atque utiliter recondendum esse in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & mortua est. Contra Bernardus serm. 1. in psalmum qui habitat, dicens: quid autem est manducare eius carnem, & bibere eius sanguinem, nisi commemorare passionibus eius, & eam conuersatione imitari, quam gessit in carne.

3. Tertio Hieronymus in magnis commentarijs Epistolæ ad Ephes. in illa verba cepitis primi, in quo habemus redemptionem, dicit: Dupliciter verò sanguis Christi, vel caro intelligitur, vel spiritualis illa, atque diuina, de qua ipse dicit: caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus &c. vel caro, & sanguis Christi, quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea; ergo &c.

4. Quarto Matthæi 4. habetur. Si dixeritis vobis, ecce hic, aut illic est Christus, nolite credere: ergo non est credendum, cum Christus dicitur esse in altari.

5. Quinto Matthæi 26. Christus dicit: peres semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis; sed si Christus esset in Eucharistia semper haberemus Christum; ergo &c.

6. Sexto Luca 24. Christus apparet Apostolis dixit, palpate, & videte, quia spiritus carnis, & ossa non habet, sicut me videtis habere; ergo veritas carnis probatur aspectu & tactu, sed aspectu, & tactu non probatur in eucharistia.

flia esse caro Christi, sed solus panis; ergo
&c.

Respondeo, quod vt docet Bellarminus
lib. de eucharistia, cap. 1. primi, qui negarunt
carnem Christi fuisse in eucharistia, videntur
fuisse illi primi, qui hæresum zizaniam in ec-
clesia ferere ceperunt, nimirum discipuli Si-
monis Magi, & Menandri, de quibus loquens
S. Ignatius Martyr in epist. ad Smyrnenfes
apud Theodoretum dialogo 3. dicit: *euchari-
stias, & oblationes non admittunt, eo quod non con-
fiteantur eucharistiam esse carnem saluatoris nostri
Iesu Christi*, licet hæc verba in dicta epistola,
vt nunc extat, non inueniantur. Verum vt
aduertit Bellarminus, illi hæretici, non tam
mysterium eucharistia, quam mysterium in-
carnationis impugnarunt, & in tantum nega-
runt carnem Christi esse in eucharistia, in-
quantum negarunt Christum habere veram
carnem. Illi ergo, qui apud Græcos realem
existentiam corporis Christi in eucharistia in-
questionem vocarunt primi, fuerunt Icono-
machi, qui post annum domini 700. in Con-
cilio Constantiopolitano, quod falsò
vocarunt septimam synodum, vt refertur in
vera septima Synodo art. 6. tomo 3. in fine,
dixerunt vnã tantum esse imaginem Christi
ab ipso Christo institutam, nimirum panem,
& vinum in eucharistia, quæ repræsentat Chri-
sti corpus, & sanguinem. Ideò ab eo tempo-
re auctores Græci in detestationem illius er-
roris sæpè notant, eucharistiam non esse figu-
ram, & imaginem corporis Christi, sed
ipsum verum corpus, & sanguinem Chri-
sti.

7. Secundus illius erroris auctor apud La-
tinos videtur fuisse quidam Ioannes Scotus,
non ille, qui dicitur doctor subtilis, sed
alius multò antiquior, qui vixit circa annu-
m Domini 800. & dubiè de hac veritate scripsit,
cuiusque liber Iectus, & damnatus deindè est
in Concilio Vercellensi, vt testatur Lanfran-
cus lib. de veritate corporis, & sanguinis Do-
mini in eucharistia.

8. Tertius eiusdem erroris auctor videtur
fuisse Beltramus Monachus circa annum 886,
qui vocauit in dubium, vtrum in eucharistia
sic illud ipsum corpus Christi, quod ex Virgi-
ne natum est?

9. Quartus, & præcipuus eiusdem erroris
auctor fuit Berengarius Archidiaconus An-
deganensis circa annum 1050. qui quando-
quidem omnium primus hanc hæresim pu-
blicè prædicauit, seminauit, ac defendit, à S.
Thoma, Plateolo, & alijs vocatur pater sa-
cramentariorum. Cum autem hæc hæresis
iam fuisset extincta, illam in Anglia renoua-
uit Vuicleffus, eundemque errorem secuti de-
indè sunt Carlostadius Lutheri discipulus, nec
non, Zuinglius, ac demum Calvinus, qui
corpus Christi docuerunt esse solum in coelo,
ac non esse realiter in eucharistia.

10. Contrà hunc errorem de fide est, &
semper fuit in Ecclesia, Christum in euchi-

stia non solum tamquam in figura, & symbo-
lo, sed verè, ac realiter esse. Hæc veritas mul-
tis sæculis, antequam contraria hæresis orire-
tur, definita fuit in concilio Alexandrino, in
epistola synodica, quæ recepta, & approbata
est à Concilio Ephesino tom. 1. cap. 14. & est
decima apud Cyrillum. Definita etiam est in
septima synodo generali, act. 6. tom. 3. in fine.
Post exortam hæresim Berengarij eadem veri-
tas definita est primo in Concilio Romano
sub Leone IX. ac deindè in Vercellensi, præ-
sente eodem Leone, quæ duo concilia non
extant. Definita est rursus sub Victore 2. in
Concilio Turonensi, in quo Berengarius
suum errorem retractauit. Sed cum Beren-
garius ad suam hæresim rediisset, idem error
damnatus est in Concilio Romano sub Nico-
lao 2. in quo Berengarius iterum suam hære-
sim retractauit, eiusque retractatio refertur
cap. *Ego Berengarius de consecrat. dist. 2. Cum
autem Berengarius cepisset docere in eucha-
ristia simul cum corpore, & sanguine Christi
remanere substantiam panis, & vini, quem
errorem deindè secutus est Lutherus, veritas
catholica iterum definita est in alio Concilio
Romano sub Gregorio 7. in quo Berengarius
tertio suum errorem etiam quoad Iprimam
assertionem retractauit, ac deindè in fide ca-
tholica perseuerauit, ac mortuus est valdè se-
nex. Eadem veritas definita est in Concilio
Lateranensi sub Innocentio 3. & refertur cap.
firmiter, & in Viennensi sub Clemente 5. & re-
fertur in Clementina vnica de reliquijs, &
veneratione Sanctorum. Cum verò VViclef-
us Berengarij errorem docuisset, damnatus
est in Concilio Romano anno 1413. ac dein-
dè in Constantiensi sess. 8. Eandem verita-
tem definiuit Concilium Florentinum in de-
creto pro Armenis, ac demum Tridentinum
sess. 13. Eadem veritas ab initio Ecclesiæ tra-
dita est vt dogma fidei ab omnibus Patribus
Græcis, & Latinis, vt probat Bellarminus
lib. 2. de Eucharistia. Cum autem anno 1632.
quidam Cyrillus Patriarcha Constantinopo-
litanus imbutus erroribus Caluinistarū Hol-
landorum, quorum pecunijs creditus est sibi
comparasse patriarchatum, promulgasset
quamdam professionem fidei continentem
errores Caluini, præsertim circa eucharistiam,
Græci anno 1638. detesta illa impietate, con-
tra hunc patriarcham insurrexerunt, illum-
que deposuerunt, qui deindè iussu cuiusdam
Turcarum Tyranni strangulatus est: mox
in tribus Concilijs, altero celebrato Constan-
tinopoli, præsentibus etiam Patriarchis Ale-
xandrino, & Hierosolymitano anno 1638. al-
tero in Moldauia, præsentibus Metropolitibus
Moschorum, anno 1642. altero Hierosoly-
mis, quod vocarunt Bethlemiticum, Cyrilli
memoriam, & Caluini errores præsertim cir-
ca eucharistiam damnarunt, ac declararunt
toram Ecclesiam Orientalem, & omnes Ec-
clesias Asiæ, & Africæ etiam Nestorianas, Euty-
chianas, & Monotelitas semper credidisse
re-*

realem præsentiam corporis Christi in eucharistia. Videri potest Leo Allatus de perpetuo consensu Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis lib. 3. cap. 11.

11. Addit Vasquez disp. 129. cap. 2. quod hæc veritas de præsentia reali Christi in eucharistia, non solum est de fide, sed est vnus ex articulis fidei, quos omnes etiam rudes tenentur explicitè scire, & credere. Ratio est. quia cum omnes etiam rudes teneantur audire missam, in eaque adorare eucharistiam, obligentur etiam ad eucharistiam suis temporibus sumendam, debent scire, quod Christum in eucharistia adorant, & sumunt, ac prouidè quod Christus verè, & realiter est in eucharistia.

12. Queritur primò, vtrum præsentia realis corporis, & sanguinis Christi in eucharistia sufficienter probetur ex verbis, quibus Christus Ioannis 6. Eucharistiam promissit, dicens: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, & paulò post, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Respondeo non solum plures hæreticos, sed etiam aliquos catholicos docuisse Christum eo loco non fuisse locutum de manducatione corporali, qua manducamus carnem eius in eucharistia, sed de manducatione spiritali, qua Christum manducamus per fidem, qua credimus Verbum factum esse carnem, & corpori Christi mysticè vnimur.

13. Dicendum nihilominus, quod licet illa verba possint etiam explicari de manducatione spiritali per fidem, tamen Christus per illa præcipuè locutus est de corporali manducatione in eucharistia.

14. Probatur primo ex consensu communi Patrum, & Conciliorum relatorum à Maldonato in comment. huius loci.

15. Probatur secundo ex antecedentibus, & consequentibus, & simul ex ijs ostenditur præsentia realis Christi in eucharistia. Nam qui audierunt illa verba Christi, *panis, quem ego dabo &c.* ita intellexerunt, vt Christus promitteret ipsis, non figuram sive carnis, sed ipsam suam carnem manducandam, ideoque ceperunt murmurare, dicentes, *quomodo potest dare suam carnem ad manducandum; sed si Christus locutus fuisset de sola manducatione per fidem, vel in figura, debuisset statim hoc explicare, & sic eorum murmurationem compescere, & tamen non solum non dixit se loqui de manducatione per fidem, vel in figura, sed expressioribus verbis addidit, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, & cum aliqui discipulorum scandalizati fuissent, & retrò abiissent, conuersus ad duodecim Apostolos dixit: Numquid & vos vultis abire? ergo locutus est præcipuè, non de manducatione per fidem, vel in figura, sed de manducatione reali. Insinuauit tamen, quod non erat manducandus, aut bibendus materialiter, hoc est*

sub specie carnis, & sanguinis, sed sacramentaliter sub specie panis, & vini, vt dicetur responsione ad primum.

16. Queritur secundo, vtrum præsentia realis corporis, & sanguinis Christi in eucharistia, probetur sufficienter ex verbis, quibus Christus Matth. 26. & apud alios etiam Euangelistas eucharistiam instituit, dicens: *Accipite, & comedite: hoc est enim corpus meum &c.*

Respondeo hæreticos sacramentarios negare, & illa verba explicare in sensu tropico, & figurato, sed non conuenire in explicatione, & anno 1567. editum fuisse libellum, in quo ducentæ eorum explicationes continebantur. Catholici vnanimè docent ex illis verbis Christi colligi præsentiam realem eiusdem Christi in eucharistia, excepto Caietano, qui in comment. art. 2. quæst. 75. S. Thomæ, quæ commentarium in editione Romana expugnatum est iussu Pij V. docuit, seclusa Ecclesiæ auctoritate, verba illa ad hanc veritatem probandam non sufficere.

17. Dicendum cum sententia communium catholicorum, ex verbis, consideratis circumstantijs, nec non antecedentibus, & consequentibus, sufficienter probari præsentiam realem corporis Christi in eucharistia.

Probatur: nam verba illa, *hoc est corpus meum* debent intelligi, non in sensu tropico, & metaphorico, sed in sensu proprio, sed si intelligantur in sensu proprio, significant, quod id, quod Christus dabat Apostolis manducandum, & bibendum, erat corpus, & sanguis Christi, non autem figura corporis, & sanguinis Christi, ergo &c. Probatur etiam multipliciter. Nam primo in septima synodo act. 6. tom. 3. refellitur expressè explicatio hæreticorum dicentium verba illa significare, *hoc est figura corporis mei, & ponderatur, quod Christus non dixit accipite figuram corporis mei, sed accipite corpus meum.* Tridentinum etiam sess. 13. cap. 1. dicit, verba illa propria, & non per tropum intelligenda. Secundo Petrus, nimirum Ambrosius, Hilarius, Anselmus, Beda, Chrysostramus, & alij vnanimè docuerunt verba illa esse intelligenda proprie. Tertio probatur ex regula communè tradita ab Augustino lib. 3. de doctrina christiana, cap. 7. quod verba Scripturæ proprie intelligenda sunt, ac non per tropum, nisi vel evidens necessitas, vel ecclesiæ auctoritas aliud doceat. Quarto probatur. Nam verba Scripturæ præsertim debent intelligi in sensu proprio, cum traduntur dogmata, vel sacramenta, & neque ex circumstantijs, neque ex alijs locis Scripturæ, neque ex ipsis verbis, & eorum vsu colligi potest, quod figuratè loquantur, sicut non colligitur in præsentia, explicatur. Nam testamenta, pacta, institutio sacramentorum, & traditio dogmatum, & legum fieri debent per verba propria, & clara, non autem per metaphorica, & obscura, sed Christus instituens eucharistiam, faciens suum vltimum testamentum, ideoque dixit

hic est sanguis meus novi testamenti, quod testamentum paulo post erat ultimo confirmandum morte testatoris, ut esset æternum, & irrevocabile, in eoque testamento relinquebat ecclesiæ ipsam eucharistiam in signum, & pignus maximi amoris, iuxta illud Ioannis 13. *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, & cæna facta &c.* faciebat etiam patrum, in quo promittebat vitam æternam, obferuantibus legem nouam; instituebat sacramentum, & sacrificium perpetuò in ecclesiâ duraturum; tradebat dogma fidei credendum ab omnibus, qui debent eucharistiam sumere; & tradebat præceptum hoc sacramentum, & sacrificium faciendi, dicens Apostolis: *hoc facite in meam commemorationem*, & ipsos Apostolos ordinabat sacerdotes; ergo debuit vii verbis proprijs, & claris, non autem metaphoricis; alioquin omnia essent incerta, sicut incerta sunt apud hæreticos, qui quia dicunt Christum locutum fuisse locutione figurata, innumeras explicationes, & omnes absurdissimas attulerunt. Confirmatur; nam de facto verba Christi intellecta sunt in sensu proprio ab Apostolis, & ab Ecclesiâ, ut patet ex perpetua Patrum Græcorum, & Latinorum traditione. Ex alijs etiam locis Scripturæ colligitur Christum propriè locutum fuisse, ac dedisse corpus suum, non autem solam figuram sui corporis. Apostolus enim 1. ad Corinth. 11. dixit, *qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diuilians corpus Domini; sed diiudicare corpus Domini est illud discernere ab alijs cibis communibus; ergo Apostolus indicat eucharistiam esse corpus Domini, & Christum propriè dixisse, hoc est corpus meum*. Aferuntur in contrarium aliqua testimonia Patrum, quorum solutio in particulari videri potest apud Bellarm. lib. 2. de eucharistia, Suar. disp. 16. quæst. 1. Vasquez disp. 162. cap. 1.

18. Ad intelligenda testimonia sanctorum Patrum, quæ hæretici afferunt contra realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi in eucharistia, aduertendum est primo, christianos primis Ecclesiæ sæculis, iuramento etiam interposito, ac sub poena periurij, & sacrilegij, obligatos fuisse ad non reuelanda infidelibus, imò etiam fidelibus catechumenis nondum baptizatis ea, quæ spectant ad sacramenta, ac præsertim ad sacramentum eucharistiæ. Patet hoc ex pluribus testimonijs Patrum Latinorum, & Græcorum. Augustinus ait: *Si dixerimus catechumeno, credis in Christum? Respondet, credo, & signat se cruce Christi &c.* Interrogemus eum: *manducas carnem Filij hominis, & bibis eius sanguinem, nescit quid dicimus*. Idem epist. 120. cap. 19. ait: *Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum sacramentum in sacrificio novi testamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, inuenies*. Ambrosius lib. de ijs, qui mysterijs initiantur, cap. 1. dicit. *Nunc de mysterijs dicere tempus non daretur, atque ipsam sacramentorum actionem*

edere, quam antè baptismum si putassimus inueniendam nondum initiatis, prodidisse potius, quam edidisse existimaremur. Idem cap. 9. *Fons signatus, quo significat signatum debere apud te manere mysterium, ne divulgetur, quibus non conuenit, ne garrula loquacitate dispergatur in perfidos*. Gaudentius Episcopus tract. in Exod. Modò autem, & solum de ipsa lectione carpenda sunt, quæ presentibus catechumenis explanari non possunt, & necessariò tamen sunt aperienda neophytis. Ideo cum, ut testatur Minutius Felix, Ethnicis exprobrarent christianis sacramentum quoddam ab ipsis celebrari occisionem infantis, quem deinde farina cooperitum manducarent, Tertullianus in Apologetico hanc calumniam refellens, dicit: *à quibus prodi potuit? ab ipsis enim reis non vitique, cura ex forma omnibus mysterijs silentij fides debeatur*.

19. Aduertendum secundo, hinc ortum esse, ut antiqui Patres dupliciter de eucharistia locuti sint. Nam in concionibus, & explicationibus Scripturarum, quas habebant presentibus infidelibus, & catechumenis non baptizatis, & in libris, quos volebant ipsis etiam communicari, loquebantur imperfectè, diminutè, & ænigmaticè, ne manifestarent mysterium eucharistiæ illis, quibus factum non erat. In concionibus autem, & explicationibus Scripturarum, quas habebant presentibus solis baptizatis, & in libris, quos ad illos solos dirigebant, loquebantur de hoc mysterio clarè, & perfectè, ac directè docebant præsentiam realem corporis Christi, & eius sanguinis in eucharistia. Hæretici igitur ad impugnandam præsentiam realem corporis, & sanguinis Christi in eucharistia, studiose afferunt loca Patrum, in quibus obscure, & ænigmaticè de ea præsentia loquuntur, ne illam manifestarent infidelibus, & catechumenis, & omittunt loca clarissima, in quibus illam proponunt fidelibus, ut dogma fidei necessariò credendum. Dum ergo afferuntur loca, quibus Patres obscure, & ænigmaticè loquuntur de præsentia Christi in eucharistia, respondendum est unico verbo, Patres eo pacto locutos, non quia de præsentia reali dubitarent, quam alijs locis disertissime proposuerunt fidelibus, ut dogma fidei necessariò credendum, sed ut talem præsentiam infidelibus, & catechumenis occultarent, quibus non erat euulganda.

20. Ad 1. Cum Christus dixisset, *nisi manducaueritis carnem Filij hominis &c.* ac multi carnaliter hoc intelligentes, putarent, quod essent manducaturi carnem Christi mortuam sub specie carnis, ac bibituri sanguinem separatum à diuinitate sub specie sanguinis, hunc errorem Christus corrigens monuit, quod non essent manducaturi hoc pacto carnaliter, sed sacramentaliter sub alia specie, hoc est sub specie panis, & vini, ac non separata à diuinitate; (nam sic non possent dare vitam spiritualem;) sed diuinitati coniunctam, à qua diuinitate habitura essent virtutem dandi vitam

tam spiritualem. Ideò dixit: *spiritus est, qui uiuificat: caro autem non prodest quidquam, quasi diceret, vt explicat Augustinus in psal. 98. sacramentum, quod vobis commendauit, spiritualiter intellectum, uiuificabit vos, caro autem non prodest quidquam, si intelligatur separata à diuinitate.* Cæterum quod Augustinus docuerit Christum esse realiter in eucharistia, patet ex pluribus eius testimonijs, quæ affert Bellarm. lib. 2. de eucharistia, cap. 20. vbi respondet etiam ad loca, quæ afferuntur in contrarium.

21. Ad 2. Augustinus eo loco docet carnem Christi non manducari sub specie carnis, sicut manducantur carnes mortuæ animalium; (hoc enim esset facinus, & flagitium,) sed manducari figura, hoc est sacramentaliter sub speciebus panis, & vini in figuram, & representationem passionis Christi, & ad significandum, quod debemus Christum patientem imitari. In eodem sensu loquitur Bernardus, qui in vita S. Malachie narrat, quò pacto insigni miraculo fuerit à S. Malachia conuictus quidam clericus, qui negabat realem præsentiam corporis Christi in eucharistia. Videri potest Bellarminus lib. 2. de eucharistia, cap. 22.

22. Ad 3. Hieronymus loco citato dicit solum carnem Christi posse dupliciter considerari, vel secundum se præcisè, vel quatenus per vnionem cum Verbo habet virtutem uiuificam, & spiritualem. In eucharistia enim est caro spiritualis, & diuina, quia est caro Christi, in quantum per vnionem cum Verbo habet uiuificam, & spiritualementem virtutem sanctificandi. Cæterum Hieronymus expressè docet præsentiam realem Christi in eucharistia, locis, quæ videri possunt apud Bellarm. lib. 2. cap. 23.

23. Ad 4. Christus dicens non esse credendum illis, qui dicunt Christum esse hic, aut illic, monet non esse credendum falsis prophetis, qui erant venturi, dicentes Christum iam secundo in propria specie venisse ad iudicandum: at non dicit non esse credendum ijs, qui asserunt Christum esse sacramentaliter, & inuisibiliter in eucharistia.

24. Ad 5. Christus dicens, *pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis*, docet nos semper habituros pauperes, in quibus possumus Christo subuenire, & Christum pascere, sed non semper habituros ipsum Christum in carne passibili, aut visibili, cui possumus præstare hæc obsequia pascendi, vngendi &c. qualia præstiterat Magdalena; at non negat nos semper habituros Christum in eucharistia sub speciebus panis, ac vini sacramentaliter præsentem.

25. Ad 6. Christus dicens veritatem carnis sensibiliter præsentis in propria specie probari aspectu, ac tactu, non negat posse carnem esse sacramentaliter præsentem in aliena specie, ita vt non probetur aspectu, ac tactu, sed sola fide credatur.

QVAESTIO CXXXIX.

Vtrum in eucharistia desinat esse substantia panis, ac vini, ac talis desinitio probetur ex verbis Christi?

S. Thom. quest. 75. art. 2. 6. 8.

1. **V**idetur non desinere, sed remanere, ac proinde per consecrationem fieri immutatio panis, non autem conuersio, & transsubstantiatio totius substantiæ panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi: primo quia Damascenus lib. 4. de fide, cap. 14. dicit: *Quia consuetudo est hominibus comedere panem, & vinum bibere, coniugati sunt diuinitatem, & fecit ea corpus; & sanguinem suum, & ita panis communicationis, non panis simplex est, sed vnitus diuinitati; sed vnio, & coniugatio est rerum actu existentium: ergo in eucharistia existunt panis, & vinum.*

2. Secundo in cæteris sacramentis materia remanet; sed panis, & vinum sunt materia eucharistiæ; ergo remanent.

3. Tertio, vt opponunt Lutherus, & Chemnitius, eatenus panis, & vinum non deberent remanere, quatenus si remanerent, non verificarentur verba consecrationis; sed verificarentur; ergo &c. Probatur minor. Nam demonstrando dolium, in quo est vinum, possumus verè dicere, *hoc est vinum*, demonstrando Energumenum, in quo est dæmon, possumus verè dicere, *hic est dæmon*, ergo demonstrando panem, in quo sit corpus Christi, verè dici potest in persona Christi, *hoc est corpus meum.*

4. Quarto, vt opponunt iidem, proprie vnionem hypostaticam Verbi cum natura humana, potest per communicationem immutatum verè dici, *homo est Deus*; ergo proprie vnionem eucharisticam accidentalem corporis Christi cum pane, posset verè dici, *panis est corpus Christi.*

5. Quinto, vt obijcit Petrus Martyr, de eo, quod Christus Ioannis 6. dixerit, *ego sum panis*, non inferitur, quod Christus conuersus fuerit in panem; ergo ex eo, quod dixerit, *hoc est corpus meum*, non inferitur, quod panis conuersus fuerit in corpus Christi, sed solum inferitur, quod panis vnitus fuerit accidentaliter corpori Christi.

6. Sexto si panis, & vinum post consecrationem remanerent spoliata accidentibus eucharisticis, & in alium loca translata, verificarentur verba consecrationis, quibus asseritur id, quod substat accidentibus, non est panem, & vinum, sed esse corpus, & sanguinem Christi; ergo ex veritate verborum inferitur tantum substantiam panis, & vini non remanere sub accidentibus eucharisticis, sed non inferitur non remanere in rerum natura spoliata accidentibus eucharisticis.

7. Respondeo plures hæreticos errasse, &c.

cendo in eucharistia simul cum corpore, & sanguine Christi remanere substantiam panis & vini. Primus error est Berengarii, qui ut refert Guidmundus Episcopus Auerfanus Berengarii contemporaneus, lib. 1. de veritate corporis, & sanguinis Christi, post secundam retractationem, quam fecit in Concilio Romano sub Nicolao 2. docuit in eucharistia cum corpore, & sanguine Christi remanere substantiam panis, & vini. Hunc errorem secuti sunt deinde Vviclesus, & Lutherus. Et quidem Lutherus primo docet, quod licet, salva fide, defendi possit tum desitio panis, & vini, tum eorum permanentia, tamen rationi, & Scripturæ magis consentaneum est, quod cum corpore, & sanguine Christi remaneat substantia panis, & vini: secundò docet, quod sicut propter vnionem hypostaticam, vera est hæc propositio *homo est Deus*, sic propter vnionem corporis Christi cum pane, vera est hæc propositio *panis est corpus Christi*: tertio docet corpus, & sanguinem Christi per vnionem cum Verbo, eiusque immensitatem, acquirere, ut sint vbique, adeoque etiam in eucharistia simul cum pane, & vino. Hanc sententiam de vbiuitate corporis, & sanguinis Christi secuti sunt Illicus, & quidam alij ex Lutheranis, qui ideo vocati sunt vbi-quetarij. Quarto docet libro de captiuitate Babilonica, cap. 1. transubstantiationem, per quam desinat tota substantia panis, & vini, illique succedat corpus, & sanguis Christi, fuisse inuentum Innocentij 3. in Concilio Lateranensi, quem secuti sunt deinde S. Thomas, & Scholastici, & Luthero quoad hoc consentiunt Calvinus lib. 2. institut. cap. 17. §. 5. Petrus Martyr, Chemnitius, plures alij.

8. Secundus error est aliorum, qui ut refert idem Guidmundus loco citato, docuerunt substantiam panis, & vini quoad illam solam partem, quæ sumenda est à dignis, conuertere in corpus, & sanguinem Christi, quoad partem, quæ sumenda est ab indignis, non conuertere.

9. Tertius est aliorum, qui dixerunt totam substantiam panis, & vini conuertere, sed cum eucharistia sumitur ab indignis, in ipso actu sumendi corpus, & sanguinem Christi, reuerti in substantiam panis, & vini.

10. Quartus est Durandi, qui 4. sententiarum, dist. 11. quæst. 3. docuit solam formam panis conuertere, materiam non conuertere, sed remanere ita, ut informetur anima Christi, eo pacto, quo cibus per nutritionem conuertitur in nostram carnem, sed ita, ut forma cibi desinente, materia informetur anima nostra.

11. Quintus est aliorum, quos tacito nomine refert S. Thomas quæst. 75. art. 6. qui dixerunt solam materiam panis, & vini conuertere, formas substantiales remanere.

12. Sextus error, quem Bellarm. lib. 3. de eucharistia tribuit Ruberto Abbati, viro alioquin catholico in cap. 6. Ioannis, super illa verba, *panis, quem ego dabo caro mea est*, &

lib. de diuinis officijs, cap. 2. docet panem, & vinum hypostaticè vniri Verbo diuino, & sic remanere in eucharistia simul cum corpore, & sanguine Christi.

13. Septimus error est Ioannis Parisiensis, qui tom. 2. cap. 65. de sacramentis, num. 1. docuit panem, & vinum in eucharistia vniri immediatè corpori, & sanguini Christi, illisque medijs, vniri Verbo diuino.

14. Contrà hos errores de fide est post consecrationem nihil substantiæ panis, & vini in eucharistia remanere. Hæc veritas definita est in pluribus Concilijs relatis quæst. proximè antecedenti, & præsertim à Tridentino sess. 13. cap. 4. in quo statuitur fieri conuersionem totius substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, quæ conuersio conuenienter, & propriè à S. Catholica ecclesia transubstantiatio est appellata: & canone 2. definitur manere dumtaxat species panis, & vini, & anathema dicitur ijs, qui doctrinam hanc negauerint. Ex his definitionibus, & præsertim ex Tridentino patet damnatos esse etiam errores illorum, qui dixerunt remanere materiam, vel formam panis, & vini, vel partem substantiæ conuertere, partem non conuertere. Nam Tridentinum definit totam substantiam conuertere, manentibus dumtaxat speciebus panis, ac vini. Eandem veritatem docuerunt antiqui Patres Græci, & Latini, qui videri possunt apud Bellarminum, lib. 2. de eucharistia, & apud Vasquez disp. 18. cap. 3.

15. Ex innumeris testimonijs Patrum paræta libet delibare, quæ simul doceant realem præsentiam corporis Christi, & conuersionem panis in corpus Christi, per quam panis ipse non remaneat. Cyprianus serm. de Cena Domini dicit: *panis iste, quem Deus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus ab omnipotentia Verbi, factus est caro*. Cyrillus Hierosolymitanus cathecheli 4. dicit *aquam aliquando transmutauit in vinum, & non erit dignus, cui credatur, quod vinum in sanguinem transmutauerit &c.* Omitto alias auctoritates.

16. Inferitur primo mentiri hæreticos, dum dicunt primum auctorem transubstantiationis, tum quoad nomen, tum quoad rem, fuisse Innocentium 3. in Concilio Lateranensi. Licet enim nomen transubstantiationis fuerit introductum à Concilio Lateranensi plusquam mille Patrum, tamen res per nomen significata, hoc est conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, per quam substantia panis, & vini desinat, illique succedat substantia corporis, & sanguinis Christi, antè Concilium Lateranense fuerat contrà Berengarium definita à Concilio Romano sub Gregorio 7. quod Concilium celebratum est plusquam centum annis antè Lateranense, & à Sanctis Patribus ab initio Ecclesiæ tradita.

17. Inferitur secundò falsum dixisse Scotum, dum in 4. dist. 11. quæst. 8. asseruit definitionem panis, & vini ante Innocentium 3.

L l non



non fuisse declaratam, & receptam ut dogma fidei. Dicendum contra Scotum; non solum præsentia realis Christi in eucharistia, quod fateretur Scotus, sed etiam conuersio panis & vini in corpus, & sanguinem Christi semper in ecclesia fuit credita ut dogma fidei, & ante Innocentium 3. expressè definita. Probat: nam Tridentinum sess. 13. cap. 8. dicit: *ideo persuasum semper in ecclesia fuit, idque demò S. Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini fieri conuersionem totius substantiæ panis in substantiam corporis, totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius.* Rursus hæc veritas plusquam centum annis antè Innocentium 3. fuerat contra Berengarium à Concilio Romano sub Gregorio 7. definita, & ab initio ecclesiæ ab omnibus Patribus fuerat tradita, ut dogma fidei.

18. Quæritur, utrum ex verbis, quibus Christus eucharistiam instituit, sufficienter probetur in eucharistia non remanere substantiam panis, & vini.

Respondeo Scotum loco citato, nec non Durandum in 4. dist. 11. quæst. 4. & Ochamum eadem dist. quæst. 6. & quodlib. 4. quæst. 3. docuisse, verba, quibus Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, potuisse esse vera, etiam si in eucharistia simul cum corpore, & sanguine Christi remaneret substantia panis, & vini, quia potuisset per illam significari hoc, quod continetur sub substantia panis, & vini, est corpus, & sanguis meus, ecclesiam autem declarasse verba illa dicta fuisse à Christo in alio sensu, hoc est significando, hoc, quod continetur sub speciebus panis, & vini, non est panis, & vinum, sed est dumtaxat corpus, & sanguis meus. Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis vltimus progressus est, ac docuit de sitionem panis, & vini non solum non colligi euidenter ex Scriptura, sed neque colligi ex definitione ecclesiæ, ac solum esse magis consentaneam doctrinæ Patrum, & communiter admitti.

19. Dicendum contra has sententias: verba illa, *hoc est corpus meum &c.* non potuisse verificari in circumstantiis, in quibus prolata sunt à Christo, si substantia panis, ac vini remansisset sub speciebus, ac non fuisset conuersa in corpus, & sanguinem Christi. Probat: nam Christus demonstrans id, quod habebat in manibus, & Ap. post. porrigebat, dixit, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*; sed non potuisset de eo, quod pronomine hoc, & hic sensibilibiter demonstrabat, verè dicere, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, si sub accidentibus sensibilibus panis, ac vini, remansisset ipsa substantia panis, ac vini; ergo &c. Probat minor: nam licet quando vna substantia habet figuram vasis, per quam figuram ordinetur ad continendam aliam substantiam, demonstrando sensibilem substantiam, quæ habet figuram vasis, possit verè dici, quod est substantia contenta in vase, eo pacto, quo demonstrando dolium, potest dici, *hoc est vinum*, tamen cum vna substantia non est vas

sensibile ordinatum ad continendam aliam, demonstrando illam, non potest verè dici, quod sit substantia in ea contenta, præsertim cum talis substantia contenta non maneat in illo effectu sensibili: exempli gratia, per reuelationem scirem Angelum esse præsentem equo, demonstrando equum non possem verè dicere, *hic est Angelus*, præsertim si Angelus suam præsentiam in equo non manifestasset villo effectu sensibili. Ita substantia panis, ac vini non habet figuram sensibilem vasis contentis corpus, & sanguinem Christi; ergo si sub accidentibus panis, & vini remaneret substantia panis, & vini, demonstrando accidentia panis, & vini, Christus non potuisset verè dicere, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*; at si sub accidentibus non remaneret substantia panis, & vini, sed loco panis, & vini sub illis substantiam corpus, & sanguis Christi, potest verè dici in persona Christi, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*; sensus enim est, id, quod sub speciebus sensibilibus panis, & vini, est corpus, & sanguis Christi. Hac ratione ad probandum non remanere in eucharistia substantiam panis, & vini vsi sunt S. Thomas hac quæst. 75. art. 2. Caietanus in comment. & plures alii theologi antiqui, ac recentiores. Plures etiam Patres, qui videri possunt apud Vasquez dist. 180. cap. 4. ex veritate verborum Christi intulerunt non remanere in eucharistia substantiam panis, & vini, & Tridentinum sess. 13. cap. 4. non solum definiuit in eucharistia fieri conuersionem, sed etiam docuit hanc conuersionem colligi ex veritate verborum.

20. Infertur primo contra vbiueterarios, quod etiam si corpus Christi per vnionem hypostaticam redderetur in mensum, ita ut esset vbiq; & sic etiam in eucharistia, nihilominus si sub speciebus remaneret substantia panis, & vini, non posset verè dici, *Hoc est corpus meum*. Probat: nam iuxta eorum principia corpus Christi per vbiuitatem est presens etiam panem non consecratum, & tamen demonstrando panem non consecratum, non potest verè dici, *Hoc est corpus meum*; ergo neque hoc posset verè dici de pane consecratum, si sub accidentibus remaneret substantia panis. Secundo Christus non magis sumeretur, cum sumitur panis consecratus, quam cum sumitur panis non consecratus. Tertio corpus Christi non poneretur in eucharistia vi consecrationis, sed esset in ea antecessenter ad consecrationem vi vbiuitatis. Adde vbiueterarios incidere in antiquam heresim Eutychianorum, & Theopaschitarum, ut dictum est in tractatu de Incarnatione, q. 4. Adde secundo non posse dici panem, & vinum vni hypostaticè Verbo diuino, vel corpori sanguini Christi, ut docuerunt Rubertus, & Ioannes Parisiensis, siquidem hæc vni hypostatica est inaudita in ecclesia, vni verò accidentalis panis, ac vini cum corpore, & sanguine Christi non sufficit ad verificandum, quod

quod panis, & vinum sint corpus, & sanguis Christi, vt dicitur in responsione ad 4.

21. Inferitur secundo, quod non solum si remaneret sub accidentibus panis tota substantia panis, & vini, sed etiam si remaneret materia, vel forma substantialis, vt dixerunt auctores quarti erroris, non verificaretur, quod id, quod substat accidentibus, est corpus, & sanguis Christi. Nam dicendo hoc, demonstraretur materia, vel forma panis, si materia, vel forma panis remaneret sub accidentibus, & sic non posset verè dici, hoc est corpus meum.

22. Inferitur tertio neque posse dici cum auctoribus secundi, & tertij erroris per consecrationem panis, & vini, partem, quæ sumenda est ab indignis, non conuerti, vel totam substantiam panis, & vini conuerti, sed cum eucharistia sumitur ab indignis, in ipso actu sumendi corpus, & sanguinem Christi redire substantia in panis, & vini. Nam sequeretur, quod nemo sumeret sanguinem, & corpus Domini indignè, quod est contra Apostolum, qui prima ad Corinthios 11. dicit: Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.

23. Ad 1. Vt explicat S. Thomas hoc art. 1. quæst. 75. sensus Damasceni est, quod Deus panis, & vino coniugauit diuinitatem, hoc est diuinam omnipotentiam, & fecit ea per conuersionem corpus, & sanguinem suum, sicut in nuptijs Canæ fecit aquam vinum, ideoque panis communicationis nõ est simplex panis, sed vnus diuinitati, quia est ipsum corpus Christi vniri diuinitati, quod corpus dicitur panis viuus.

24. Ad 2. concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Ideò in cæteris sacramentis materia remanet, quia materia adhibetur ad hoc, vt ipsa materia sanctificet, & sit pars sacramenti; sed in eucharistia panis, & vinum assumuntur, & adhibentur, non vt sanctificent, sed vt conuertantur in corpus, & sanguinem Christi; ergo non debent remanere, sed debent conuerti.

25. Ad 3. nego minorem, & ad probationem, transmissio antecedenti, nego consequentiam. Ideò demonstrando dolium, possum dicere, hoc est vinum, quia dolium habet figuram vasis ordinati ad continendum in se vinum: ideò demonstrando energumenum possum dicere, hic est demon, quia apparet in energumeno per aliquem effectum sensibilem; sed substantia panis non habet figuram vasis ordinati ad continendum corpus Christi, & corpus Christi non apparet per vllum effectum sensibilem in pane, & vino consecratis; ergo si sub accidentibus eucharisticis remaneret substantia panis, & vini, non posset verè dici, hoc est corpus meum. Confirmatur: nam si per relationem scirem angelum compenetrari cum equo, sed ita, vt non apparet in equo per vllum effectum sensibilem, non pos-

sem, demonstrando equum, dicere: hic est angelus; ergo à pari.

26. Ad 4. concedo antecedens, & nego consequentiam. Vt accidentia mutuò prædicentur in concreto, debent vniri in eodem subiecto: ex. gr. cum in eodem subiecto, puta in lacte est albedo, & dulcedo, potest verè dici album est dulce. Proportionaliter vt substantiæ possint mutuò prædicari in concreto, debent vniri substantialiter in eodem supposito: sed natura humana, & diuina vniantur substantialiter in eodem supposito Verbi diuini, vt dictum est in tractatu de incarnatione; ergo possunt prædicari in concreto, dicendo, homo est Deus, Deus est homo. E conuerso corpus Christi, & panis non vniantur substantialiter, vt fatentur Lutherus, & alij nouatores: ergo &c. Si verò dicatur cum Ruperto panem, & vinum vniri hypostaticè corpori Christi, contra est, nam hæc vnio hypostatica est inaudita in ecclesia, & Tridentinum locis citatis expressè definit in eucharistia non remanere substantiam panis, & vini.

27. Ad 5. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ideò ex eo, quod Christus dixerit Ego sum panis viuus, non inferitur, quod conuersus fuerit in panem, quia addendo ly viuus manifestè significauit se loqui de pane, metaphorico, ac significare se esse cibum, & panem spiritualem; sed dicens, hoc est corpus meum, locutus est propriè, vt probatum est quæst. 138. ergo &c.

28. Ad 6. transeat antecedens, & distinguo consequens; ergo ex veritate verborum formaliter inferitur solum substantiam panis, & vini non remanere sub accidentibus, & non inferitur formaliter non remanere in rerum natura, concedo; & non inferitur consequenter, nego. Illud inferitur formaliter ex veritate verborum, sine quo verba non essent vera; illud autem, sine quo verba essent vera, sed deberent fieri noua miracula præter ordinem naturæ, inferitur solum consequenter; sed vt panis, & vinum ex vi verborum spoliata accidentibus deferrentur in alium locum, & conseruarentur in rerum natura, deberent fieri noua miracula deferendi panem, & vinum in alium locum motu instantaneo, & conseruandi substantiam spoliatam suis accidentibus; ergo ex veritate verborum inferitur consequenter substantiam panis, & vini non remanere in rerum natura.

QVÆSTIO CXL.

Virum, & quo pacto panis conuertatur in corpus Christi?

S. Th. quæst. 75. art. 4.

1. **P**rimo videtur panis non aliter posse conuerti in corpus Christi, quam per hoc,

hoc, quod materia, quæ erat sub forma panis, virtute diuina ponatur sub forma substantiali corporis Christi, vt docuit Durandus in 4. distinct. 11. quæstione 3. Ad conuersionem enim substantialem vnus in aliud requiritur, vt materia, quæ erat sub forma vnus, ponatur sub forma alterius; sed conuersio panis in corpus Christi est conuersio substantialis; ergo.

2. Secundo Damascenus lib. 4. de fide, cap. 5. dicit, quod sicut panis, & vinum, conuertuntur in corpus, & sanguinem comedentis, & bibentis, sic panis & vinum per consecrationem conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi; sed panis, & vinum conuertuntur in substantiam comedentis, & bibentis per hoc, quod materia, quæ erat sub forma panis, ac vini, ponatur sub forma substantiali comedentis, & bibentis; ergo &c.

3. Tertio videtur, quod ad hoc, vt panis conuertatur in corpus Christi, sicut panis debet substantialiter destrui, sic corpus Christi debeat substantialiter produci, vel reproduci, vt ex Gabriele in 4. dist. 11. quæstione 1. artic. 3. docuit Suarius disput. 50. sect. 3. Vt enim vnum conuertatur substantialiter in aliud, id, quod conuertitur, & est terminus à quo, debet destrui, id, in quod conuertitur, & est terminus ad quem, debet de nouo produci, vel reproduci: ex gr. vt ligna conuertantur substantialiter in ignem, ligna debent destrui, ignis debet de nouo produci; sed panis conuertitur substantialiter in corpus Christi; ergo sicut panis destruitur, sic corpus Christi debet produci, vel potius quia supponitur iam productum, & conseruatum in cælo, debet reproduci sub speciebus.

4. Quarto saltem ad conuersionem substantialem requiritur, vt de nouo producat aliquam substantiam, vel vt terminus ad quem acquirat aliquod esse substantiale; sed si corpus Christi non reproduceretur, nulla de nouo produceretur substantia, & corpus Christi nullum acquireret esse substantiale, sed solum acquireret de nouo vnionem accidentalem cum accidentibus eucharisticis; ergo &c.

5. Quinto plures Patres, quos refert Suarius loco citato in 3. argumento, dicunt in hoc sacramento corpus creari, & de pane, aut ex pane fieri, panem, & vinum fieri corpus Christi, & sanguinem, aut in corpus, & sanguinem Christi mutari, conuerti, & transire; sed istæ locutiones non essent veræ in sensu proprio, nisi corpus Christi produceretur, vel reproduceretur; ergo &c.

6. Sexto melius explicatur conuersio, & transubstantiatio eucharistica, dicendo corpus Christi produci, aut reproduci; ergo &c.

7. Septimo conuersio non potest saluari sine destructione illius, quod conuertitur; ergo

neque sine productione illius, in quod conuertitur.

Respondeo naturam dupliciter posse fieri, vt aliquid sit de nouo in loco, in quo ante non erat; primo per motum localem secundo per conuersionem, qua aliquid existens in tali loco conuertatur in ipsum; ex gr. dupliciter ignis potest de nouo poni in aula; primo ita, vt per motum localem feratur in hanc aulam; secundo per hoc, quod ligna, quæ sunt in hac aula, accendantur, & conuertantur in ignem; sed Deus vult, vt per consecrationem corpus, & sanguis Christi incipiat esse de nouo sub speciebus panis & vini, & non fuit conueniens, vt corpus & sanguis Christi deferrentur ad species consecratas per motum localem; siquidem deberent relinquere cælum, & successiuè transire per omnia loca intermedia, & eodem tempore moueri ad loca etiam opposita; ergo conuenientissimè Deus instituit, vt corpus & sanguis Christi de nouo ponerentur sub speciebus consecratas per conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Explicandum igitur est, qualis sit ista conuersio, & quo pacto fiat?

8. Dicendum primo, & est certum apud omnes: panis non conuertitur in corpus Christi per hoc, quod materia, quæ erat sub forma panis, ponatur sub forma corporis Christi, vt docuit Durandus relatus in primo argumento. Probatur primo: nam Tridentinum sect. 13. cap. 4. & can. 2. definit, fieri conuersionem totius substantiæ panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi, manentibus dumtaxat speciebus; sed iuxta opinionem Durandi non solum manerent species, sed etiam materia prima; ergo &c. Secundo absurdum est, quod cum consecratur eucharistia, corpus Christi gloriosum, & impassibile mutetur substantialiter, vnienso sibi substantialiter materiam panis; cum species corruptantur, corpus Christi amittat vnionem substantialem cum materia panis; sed hæc sequuntur ex opinione Durandi; ergo &c.

9. Dicendum secundo: panis & vinum conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi, non per hoc, quod corpus, & sanguis Christi existentia in cælo reproducantur in eucharistia, vt docet Suarius relatus in 3. argumento.

10. Probatur primo: nam repugnat, vt aliquid producat, vel reproducat se ipsum; sed ex opinione Suarij sequitur, quod Christus quando eucharistiam instituit, producat, vel reproducat se ipsum, immo sequitur, quod semper, cum sacerdos consecrat, Christus producat, vel reproducat se ipsum; ergo &c. Probatur maior. Primo enim inter producat, & productum debet dari distinctio realis, ideoque in diuinis ex eo, quod Pater generat Filium, sequitur Patrem distinctiui realiter à Filio. Secundo agens non potest

test agere, vt acquirat esse, quod supponitur habere, & per quod agit, sed debet agere, quia iam habet esse: ex. gr. oculi exercent operationem videndi, non vt sint, sed quia iam sunt, & repugnat, vt aliquis per oculos videat, vt per talem visionem acquirat oculos ipsos, quibus illam visionem exercet; sed si aliquid produceret se ipsum per primam productionem, ageret, vt tunc esset, quando agit, & eueniret aliquid simile, sicut si quis per pedes ambularet, vt tunc acquireret pedes, quibus ambulat; ergo &c. Rursus repugnat, vt productio, per quam res in aliquo instanti producit, supponat rem pro eo instanti iam esse, & iam esse productam: cum enim productio ordinatur essentialiter ad dandum esse rei, non potest essentialiter supponere rem iam habere illud idem esse; sed si res produceret se ipsam per secundam productionem, talis reproductio supponeret essentialiter rem iam existere; ergo &c. Ex iisdem rationibus repugnat, vt res conferuet, vel reconferuet se ipsam. Probatur iam minor, quod nimirum Christus produxisset, vel reproductisset se ipsum. Nam Christus per ea verba, quibus dixit, *Hoc est corpus meum* conuertit panem in ipsum Christum; sed talis conuersio iuxta relatum opinionem includit productionem, vel reproductioem ipsius Christi; ergo Christus produxisset, vel reproductisset se ipsum. Rursus cum sacerdos consecrat nomine Christi, principalis consecrans est ipse Christus; ergo Christus conuertit panem in se ipsum; ergo si conuersio includit productionem Christi, Christus producit, vel reproductit se ipsum.

11. Dices: Christus prout existens in celo potest producere se ipsum, vt existentem in eucharistia.

Respondeo, distingo: Christus prout existens in celo potest producere se ipsum, vt existentem in eucharistia, si per hoc significetur, quod per illam actionem producat modum accidentalem, quo existit in eucharistia, concedo: si significetur, quod producat ipsum esse substantiale, quod supponitur habere vt principium agendi, nego. Christus dum consecrat per sacerdotes, supponitur iam existens secundum corpus, & animam, ideoque non potest producere esse substantiale corporis, vel animæ: at non supponitur habere illud esse accidentale, per quod loco panis: sit sub speciebus, ideoque potest producere hoc esse accidentale. Ex hac autem ratione infertur non posse dici, quod Christus per animam producit, vel reproductit corpus. Nam cum anima supponatur vt iam vnita, non potest corpus producere: alioquin talis actio productiua supponeret iam esse id, quod per illam producit.

12. Probatur secundo. Nam si possumus saluare, quod panis, & vinum propriissimè conuertantur in corpus, & sanguinem Christi per transubstantiationem absque hac pro-

ductione, vel reproductione, qua Christus reproductat se ipsum, non debemus hanc reproductioem ponere; sed possumus hoc saluare, vt iam explicabitur; ergo &c.

13. Dicendum tertio: panis & vinum conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi per hoc, quod ideo desinant esse sub speciebus, quia corpus, & sanguis Christi succedunt illis in munere substandi speciebus, seu accidentibus eucharisticis.

14. Probatur. Nam ad conuersionem sufficit, vt sit mutatio, per quam vnum ideo desinat, quia aliud illi succedit in munere communi, seu id, quod succedit, producat, seu non producat: sed virtute consecrationis panis, & vinum ideo desinant esse sub speciebus, quia succedunt illis corpus, & sanguis Christi in munere communi substandi talibus speciebus, seu accidentibus; ergo panis, & vinum propriissimè conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi, & talis conuersio nil aliud est, quam mutatio, per quam panis, & vinum ideo desinant esse sub speciebus, quia corpus, & sanguis Christi succedunt illis in munere substandi speciebus, sine accidentibus. Maior probatur inductione. Nam ligna ideo conuertuntur in ignem, quia ligna ideo desinant esse, quia succedit ignis in materia communi, & in munere communi: cum cera ex rotunda fit quadrata, rotunditas conuertitur in quadraturam per hoc præcisè, quod rotunditas ideo desinit, quia succedit illi quadratura in munere informandi ceram: in generatione hominis forma embryonis conuertitur in animam rationalem per hoc præcisè, quod forma embryonis ideo desinit, quia succedit illi anima rationalis in munere informandi materiam. Ex hoc autem vltimo exemplo probatur, quod ad hoc, vt vnum conuertatur in aliud, sufficit, vt desinat, quia aliud illi succedit, siue id, quod succedit, producat, siue non. Nam quamuis esset vera opinio Platoniorum, & Origenistarum, qui dixerunt omnes animas rationales creatas fuisse ab initio mundi, ac successiuè corporibus infundi, tamen forma embryonis conuertetur in animam rationalem, quæ non produceretur de nouo; ergo vt vnum conuertatur in aliud, sufficit, vt desinat vnum, quia aliud illi succedit, etiamsi id, quod succedit, non producat de nouo; ergo vt panis, & vinum conuertantur in corpus, & sanguinem Christi, non requiritur, vt corpus, & sanguis Christi producantur, vel reproductantur de nouo.

15. Infertur primo conuersionem eucharisticam esse conuersionem substantialem. Probatur: nam mutationes denominantur à termino proportionaliter illis correspondente: ex. gr. productio substantiæ dicitur substantialis, productio accidentis dicitur accidentalis; sed conuersio eucharistica est conuersio substantiæ in substantiam; ergo est substantialis.

16. Dices primo: ad conuersionem sub-

stan-

stantialem requiritur, vt per illam producat^{ur} aliqua substantia.

Respondeo hoc negando, ac dico sufficere, vt substantia conuertatur in substantiam, seu talis substantia producat^{ur} de nouo, siue non, vt explicatum est.

17. Dices secundo: saltem ad conuersionem substantialem requiritur, vt substantia, in quam fit conuersio, acquirat aliquod esse substantiale.

Respondeo, quod Valentia, quem sup-presso nomine citat Vasquez disp. 181. cap. 3. docet corpus Christi acquirere vnionem substantialem cum accidentibus eucharisticis. Sed rejicitur hæc responsio. Nam vnio substantiæ cum accidentibus est accidentalis, ac non potest esse substantialis. Melius igitur responde-^{retur}, ad conuersionem sufficere, vt substantia conuertatur in substantiam, siue illa substan-^{tia}, in quam fit conuersio, acquirat de nouo aliquod esse substantiale, siue accidentale; ergo licet corpus Christi acquirat solum vnionem accidentalem cum accidentibus eucha-^{risticis}, tamen conuersio, qua panis, & vinum conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi, est substantialis.

18. Infertur secundo conuersionem eucharisticam esse veram, & propriam transubstantiationem. Probat^{ur}, & explicatur. Possumus enim intelligere quatuor genera conuer-^{sionum}. Prima est conuersio formalis acci-^{dentalis}, quæ consistit in hoc, vt forma acci-^{dentalis} ideò desinat, quia alia forma acci-^{dentalis} illi succedit in munere informandi idem subiectum: ex. gr. conuersio, qua cera ex qua-^{drata} conuertitur in rotundam, est conuersio formalis accidentalis. Secunda est conuersio formalis substantialis, quæ consistit in hoc, vt vna forma substantialis desinat, quia alia forma substantialis illi succedit in eadem materia: ex. gr. conuersio lignorum in ignem est con-^{uersio} formalis substantialis, quia consistit in hoc, vt forma substantialis ligni desinat, quia succedit illi in eadem materia forma substan-^{tialis} ignis. Tertia est conuersio materialis substantialis, quæ consistit in hoc, vt ma-^{teria} in munere recipiendi eandem formam: ex. gr. si meum corpus ideò desineret, quia suc-^{cederet} illi aliud corpus in munere recipiendi eandem meam animam, fieret conuersio ma-^{terialis} substantialis mei corporis in aliud cor-^{pus}. Quarta est conuersio substantialis totalis, quæ consistit in hoc, vt vna substantia totali-^{ter} desinat, quia succedit illi alia substantia in munere substandi iisdem accidentibus: & hæc est conuersio transubstantiatua, seu transub-^{stantiatio}; sed in eucharistia substantia panis, ac vini totaliter desinat, quia succedit illi sub-^{stantia} corporis, & sanguinis Christi in munere substandi iisdem accidentibus; ergo con-^{uersio} eucharistica est transubstantiatua, & est verissima transubstantiatio, & opponitur transaccidentationi, per quam, remanente

substantia, mutarentur omnia accidentia.

19. Infertur tertio in conuersione eucha-^{ristica}, sicut in alijs conuersionibus dari ter-^{minum} a quo, terminum ad quem, & tertium a quo est substantia panis, & vini. Terminus a quo est corpus, & sanguis Christi, in quo conuertitur substantia panis, & vini. Tertium commune remanens sunt accidentia, quæ substantia panis, & vini transeunt ad hoc, vt contineant sub se corpus, & sanguinem Christi. Conuersio eucharistica, quæ est superna-^{turalis}, differt a conuersionibus naturalibus per hoc, quod in naturalibus tertium com-^{mune} remanens est subiectum, quod ab vna forma transit ad aliam; in conuersione eucha-^{ristica} tertium commune remanens sunt acci-^{dentia}, quæ ab hoc, quod sint in substantia panis, & vini, transeunt ad hoc, vt contineant sub se corpus, & sanguinem Christi, vt initio explicabitur.

20. Infertur quarto conuersionem eucha-^{risticam}, sicut alia conuersiones, includere duas mutationes, alteram negatiuam, alteram positiuam. Probat^{ur}, & explicatur. Conuersio enim ligni in ignem ex. gr. includit mutatio-^{nem} negatiuam, qua lignum mutatur ab esse ad non esse, & mutationem positiuam, qua ignis mutatur a non esse ad esse. Proportio-^{nally} conuersio eucharistica includit mutatio-^{nem} negatiuam, qua panis mutatur ab esse sub accidentibus ad non esse sub accidentibus, & mutationem positiuam, qua corpus Christi mutatur a non esse sub accidentibus ad esse sub accidentibus, & qua acquirat vnionem accidentalem cum accidentibus eucharisticis, vt quaest. 143. explicabitur. Ideo conuersio eucha-^{ristica} includit actionem productiuam vnionis, seu actionem vnitiuam Christi cum speciebus panis, & vini. Addit Scotus in 4. dist. 11. quaest. 3. quod quia conuersio eucha-^{ristica} includit etiam actionem, qua Christus fit de nouo localiter præsens speciebus; actio autem, qua res fit præsens loco, in quo ante non erat, est adductiua rei ad talem locum: conuersio eucharistica includit actionem adductiuam Christi ad species. Sed dicendum, quod actio adductiua propriè est, per quam res motu locali fit præsens loco, in quo ante non erat; sed Christus fit præsens speciebus sine vilo motu locali; ergo actio, qua Christus fit præsens speciebus, non est adductiua, si propriè loquamur. Potest tamen vocari actio replicatiua: siquidem per illam corpus Christi manens in cælo sine vilo motu locali fit præsens, & replicatur in speciebus eucha-^{risticis}.

21. Infertur quinto, quod sicut panis supernaturaliter conuertitur in corpus Christi, sic posset conuerti in quodlibet aliud corpus, puta in equum, canem, cælum &c. Ratio est, quia eatenus panis conuertitur in corpus Christi, quatenus panis destruitur, & loco panis sub accidentibus panis ponitur corpus Christi.

si: sed posset modo proportionali, destructo panis, sub accidentibus panis poni equus, leo, coelum, angelus, & quælibet substantia creata; ergo &c. Ad do, quod ex proportionali ratione quodlibet corpus posset supernaturaliter conuerti in quodlibet aliud corpus, imò in quamlibet substantiam creatam etiam angelicam: ex. gr. canis posset conuerti in Angelum Michaelem per hoc, quod canis destrueretur, & sub ipsius accidentibus sensibilibus poneretur Angelus Michael. Posset dubitari, vtrum panis modo proportionali conuerti posset in Deum, & in aliquam Personam diuinam per hoc, quod destrueretur panis, & sub accidentibus panis per aliquam vnionem accidentalem proportionalem vnioni hypostatice poneretur Pater, vel alia Persona diuina. Sed hæc quæstio pendet à tractatu de Incarnatione, in quo qu. 2. ad 8 dixi Deum non posse immediate vniri accidenti. De possibilitate conuersionis cuiuslibet in quodlibet videtur potest Vasquez disp. 184.

22. Ad 1. distinguo maiorem: ad conuersionem formalem vnus in aliud requiritur 1. vt materia, quæ erat sub forma vnus, ponatur sub forma alterius, concedo: ad conuersionem totalem, nego: distinguo eodem pacto maiorem; & nego consequentiam. Ad conuersionem totalem, & transubstantiatuam requiritur, vt tota materia, & forma desinat esse sub accidentibus, & vt accidentia, quæ continebant sub se vnã substantiam totalem, transeant ad continendam aliam substantiam totalem, vt explicatum est.

23. Ad 2. Damascenus dicens, quod sicut panis, & vinum conuertuntur in corpus, & sanguinem comedentis, & bibentis, sic panis, & vinum conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi, per ly sicut affirmat convenientiam solum in ratione generica, non autem in vltima ratione specifica conuersionis. Conuersio enim panis, & vini in corpus, & sanguinem comedentis, & bibentis, est conuersio formalis, & naturalis; conuersio autem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi est totalis, & transubstantiatua, & explicatum est.

24. Ad 3. distinguo maiorem: vt vnus conuertatur substantialiter in aliud, id, quod conuertitur, debet destri, id, in quod conuertitur, debet produci, vniuersaliter, & ex ratione generica conuersionis vt sic, nego: ex ratione particulari conuersionis naturalis, transeat. Ostensum est ex ratione generica, & vniuersalissima conuersionis substantialis vt sic non requiri, vt id, quod conuertitur, destruat, id, in quod conuertitur, de nouo producat.

25. Ad 4. nego maiorem. Dicitur est ad conuersionem substantialem vt sic non requirit, vt de nouo producat aliqua substantia, neque vt terminus ad quem acquirit aliquid esse substantiale, sed sufficere, vt vna substantia conuertatur in aliam substantiam.

26. Ad 5. Patres per illos modos loquendi nihil aliud significant, quam panem, & vinum ita mutari, & conuerti in corpus, & sanguinem Christi, vt corpus, & sanguis Christi de nouo creentur, & fiant, non simpliciter, & substantialiter, sed in ratione existentis sub speciebus, siue accidentibus panis, & vini.

27. Ad 6. nego antecedens, ac dico, quod cum conuersio eucharistica optimè explicetur sine productione substantiali corporis, & sanguinis Christi, non est dicendum Christum producere se ipsum.

28. Ad 7. nego antecedens. Conuersio posset etiam saluari sine destructione panis, & vini, dummodò detinerent esse sub speciebus; ergo potest etiam saluari sine productione corporis, & sanguinis Christi, dummodò de nouo incipiant esse sub speciebus. Ideo quæst. 139. ad 6. dixi destructionem panis, & vini ex veritate verborum consecrationis inferri, non formaliter, sed consequenter.

29. Dices. Si corpus Christi non esset rerum natura, produceretur ex vi consecrationis; ergo licet sit in rerum natura, potest, ac debet produci ex vi consecrationis.

Respondeo, transeat antecedens, & nego consequentiam. Ideò si non esset, posset, ac deberet produci ex vi consecrationis, quia ex institutione diuina verba habent vim faciendi omnia, quæ requiruntur ad illa verificanda; sed si non esset, ad verificanda verba, requiretur productio corporis Christi; ergo posset, & deberet produci. At posito, quod corpus Christi sit, ad verba verificanda, sufficit, vt ponatur sub speciebus absque productione, ac repugnat talis productio, vt dictum est; ergo corpus Christi non potest, nec debet produci.

QVÆSTIO CXXI.

Verum substantia panis, & vini per consecrationem annihilentur?

S. Thom. qu. 75. art. 3.

1. **V**ideretur annihilari, vt docet Scotus in 4. dist. 12. quæst. 4. & quodl. 10. art. 3. cui ex parte consentiunt Ochamus, Gabriel, & alij, quorum testimonia expendit Vasquez disp. 183. cap. 1. num. 2. Sicut enim cum aliqua substantia producitur secundum se totam, hoc est secundum materiam, & formam, creatur, sic cum destruitur secundum se totam, hoc est secundum materiam, & formam, annihilatur; sed est de fide substantiam panis, & vini destrui secundum se totam, hoc est secundum materiam, & formam, manentibus dumtaxat speciebus, vt definit Tridentinum, sess. 13. can. 2. ergo &c.

2. Respondeo Scotum ex allato fundamentum docuisse substantiam panis, & vini annihilari;

lari. Hac sententia Scoti recentiores heretici abusi sunt ad impugnandam doctrinam fidei de conuersione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Vt enim arguit Petrus Martyr libro contra Gardinerum, obiectione 14. impossibile est, vt quod annihilatur, conuertatur in aliud, ideoque Caluinus lib. 4. institutionum, cap. 27. dicit catholicos non posse defendere conuersionem, sed solam annihilationem panis, & vini. VViclefus etiam, vt refert Valdenfis tomo 2. de sacramentis, cap. 68. probabat in eucharistia remanere panem, & vinum, quia alioquin annihilarentur: ex hoc autem sequeretur eucharistiam fuisse institutam à Deo malo Manichæorum, qui res à Deo bono creatas in nihilum redigit.

3. Dicendum cum communi, & antiqua sententia S. Thomæ hoc art. 3. quæst. 75. & 4. contra gentes, cap. 63. S. Bonauenturæ, Alexandri, Durandi, Valdenfis, & aliorum, quos reserunt, & sequuntur Suarez, disp. 10. sect. 7. Vasquez disp. 183. cap. 4. alijque recentiores communiter: substantia panis, & vini non annihilatur, si propriè loquamur.

4. Probat: nam quod ideo desinit esse, quia loco illius ponitur aliud, propriè non annihilatur, sed conuertitur in illud aliud; sed substantia panis, & vini ideo desinit esse, quia loco illius sub accidentibus panis, & vini ponitur corpus, & sanguis Christi: ergo &c. Maior probatur: nam quod annihilatur desinit in nihil; sed quod ideo desinit, quia aliud ponitur, non desinit in nihil, sed mutatur in illud aliud; ergo &c. Conuersio igitur in aliud repugnat annihilationi, quæ est reuersio sui in suum nihil, ideoque iisdem argumentis, quibus probatur panem, & vinum conuerti in corpus, & sanguinem Christi, probatur panem, & vinum non annihilari. Debet autem aduerti, quod licet hæc quæstio sit de modo loquendi, tamen non est contemnenda. Nam de rebus fidei non solum debemus rectè sentire, sed etiam ità loqui cautè, vt modus loquendi non videatur indicare aliquid contrarium fidei.

5. Ad argumentum in contrarium, nego antecedens quoad secundam partem. Ad annihilationem enim non sufficit, vt substantia totaliter destruat secundum materiam, & formam, sed requiritur, vt redeat ad suum nihil, & non conuertatur in aliud, vt probatur est. Ad creationem autem sufficit, vt res producat secundum se totam, & non educatur ex potentia subiecti. Ideò cum destructis accidentibus, & corruptis speciebus eucharisticis, producat noua substantia, puta vermes secundum se totos, creantur.

QVÆSTIO CXLII.

Vtrum conuersio eucharistica fiat successiue in tempore, vel tota simul in instanti, in quo primo sufficienter prolata sunt verba consecrationis?

S. Thom. quæst. 75. art. 7.

1. **V**idetur fieri successiue: primo, quia omnis mutatio, quæ fit in tempore diuisibili, fit paulatim, & successiue; sed conuersio eucharistica fit in tempore diuisibili, quidem tempus componitur ex partibus diuisibilibus in infinitum sine vllis instantibus diuisibilibus; ergo &c.

2. Secundo omnis mutatio, quæ fit à causa successiue posita, fit successiue; sed in eucharistia Ambrosius lib. 4. de sacramentis, cap. 4. dicit: *sacramentum Christi sermone conuertitur, quo sermo profertur successiue; ergo &c.*

3. Tertio quando panis conuertitur in corpus Christi, nondum est conuersus; sed conuersio fieret tota simul, quando panis conuertitur, iam esset tota conuersio, & panis iam esset conuersus; ergo &c.

Respondeo plures esse quæstiones. Prima est, vtrum conuersio eucharistica fiat tota simul, vel potius paulatim, & successiue.

4. Dicendum, quod fit tota simul. Vnde quæstio enim prius conuertitur in corpus Christi, vna pars panis, deinde alia, non prius ponitur sub speciebus vna pars Christi, deinde alia, neque Christus prius ponitur in vna parte specierum, deinde in alia, sed simul conuertuntur partes panis conuertuntur in corpus Christi, & totus Christus ponitur sub omnibus partibus specierum. Rationem affert S. Thomas hoc art. 7. Mutatio enim fit successiue ex duplici ratione: primo, quia forma suscipit magis, & minus, eo pacto, quo quia forma suscipit magis, & minus, ægrotus sanatur paulatim, & successiue: secundo, quia subiectum propter resistentiam contrarij, quod paulatim auferitur, paulatim suscipit formam, eo pacto, quo aqua propter resistentiam frigoris, paulatim destruitur, paulatim calcfit, & conuertitur in ignem, propter limitationem agentis, quod paulatim agit, & vincit resistentiam subiecti, & conuertitur in ignem. Ex oppositis rationibus mutatio fit tota simul, ideoque forma substantialis, quia suscipit magis, & minus, tota simul in generatione introducit: corpus diaphanum, quia ta aer, quia est vltimò dispositum ad recipiendam lucem, & non habet contrarium consistens luci, recipit totam simul lucem. Christus, quia habebat infinitam virtutem, statim perfecte sanabat ægrotos: sed virtus corporis Christi non suscipit magis, & minus, non datur vllum subiectum resistentem, Deus, qui est causa principalis conuersionis eucharistice.

eucharistica, habet infinitam virtutem; ergo conuersio eucharistica fit tota simul.

5. Secunda quæstio est, vtrum conuersio eucharistica fiat in instanti indiuisibili, vel in tempore diuisibili?

6. Dicendum, quod si in tempore præter partes indiuisibiles non dantur instantia indiuisibilia, proculdubio fit in tempore diuisibili; si autem dantur instantia indiuisibilia, vt cum Aristotele, S. Thoma, & alijs dixi quæst.

42. physica, fit in instanti indiuisibili. Probat. Nam effectus, qui ponitur totus simul, conaturaliter debet poni per positionem, quæ sit tota simul; sed positio existens in tempore diuisibili non est tota simul, sed vna eius pars est prior, alia posterior; ergo effectus, qui ponitur totus simul, non debet poni in tempore diuisibili, sed in instanti indiuisibili. Sententia negans instantia indiuisibilia habet etiam hoc inconueniens, quod debet concedere ea, quæ ponuntur tota simul, poni per positionem, quæ non est tota simul, sed successiue.

7. Tertia quæstio est, in quo instanti, vel tempore prolationis verborum fiat conuersio eucharistica?

Respondeo, quod fit in eo instanti, vel in eo diuisibili momento temporis, in quo verificatur, nunc primo verba sunt sufficienter prolata, immediatè antè pondum erant sufficienter prolata. Probat: nam effectus physicè, vel moraliter dependens à causa successiua, non ponitur, nisi cum causa est sufficienter posita, neque differretur poni, cum primo causa est sufficienter posita; sed conuersio est effectus dependens à verbis consecrationis, quæ profertur successiue; ergo conuersio non ponitur, antequam verba sint sufficienter prolata, neque cum primo verba sunt sufficienter prolata, differretur poni, adeoque conuersio fit in eo instanti, vel momento temporis, quo verificatur, nunc primo verba sunt sufficienter prolata, immediatè antè non erant sufficienter prolata. Quod autem sit hoc instans, nos non possumus assignare: sufficit, vt assignet Deus, qui ponit conuersionem.

8. Inferitur primo, quod in eodem instanti, vel momento, in quo corpus Christi primo est sub speciebus, substantia panis primo non est sub speciebus, immediatè ante sub speciebus erat substantia panis, non autem corpus Christi.

9. Inferitur secundo, quod si dantur instantia indiuisibilia, ac proindè corpus Christi primo est sub speciebus in instanti indiuisibili, non verificatur, quod substantia panis vltimo fuerit in instanti indiuisibili. Ratio est, quia vt docet Aristoteles 6. physicorum initio, antè instans non datur immediatè aliud instans; ergo antè instans indiuisibile, quo Christus primo est sub speciebus, non datur aliud instans indiuisibile, quo panis vltimo sit sub speciebus, sed datur tempus diuisibile, quo toto simul sumpto panis vltimo est sub speciebus, immediatè post sub speciebus

Tom. III.

non est amplius panis; sed corpus Christi. Ideo panis definit per primum non esse in instanti indiuisibili, non autem per vltimum esse in instanti indiuisibili.

10. Ad 1. iuxta sententiam negantem instantia indiuisibilia, distinguo maiorem: omnis mutatio, quæ fit in tempore diuisibili, fit paulatim, & successiue ex parte termini, nego: ex parte ipsius mutationis, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Conuersio eucharistica, si fit in momento diuisibili, fit paulatim ex parte ipsius conuersionis, sed fit tota simul ex parte termini. Nam per illam, & per singulas partes ipsius, omnes partes corporis Christi ponuntur simul sub speciebus eucharisticis, & partes substantiæ panis destruntur, & non prius destruntur vna pars, deindè alia.

11. Ad 2. nego maiorem, & dico, quod à causa, quæ ponitur successiue, mutatio fit tota simul ex parte termini in instanti, vel momento, quo talis causa primo est sufficienter posita, vt explicatum est.

12. Ad 3. nego maiorem. In mutationibus instantaneis, & quæ fiunt totæ simul, idem est fieri, ac primo factum esse: ex. gr. idem est creari, ac primo creatum esse; ergo idem est panem conuerti in corpus Christi, ac primo conuersum esse. Loquendo igitur de rebus, quæ fiunt totæ simul, factum est, quod cum fiunt, non sunt, & cum iam sunt, non amplius fiunt. Nam cum fiunt, primo sunt, & primo sunt factæ, & cum primo sunt, fiunt, imò hoc ipsum est illas fieri, ac primo esse, cum antè non essent.

QVAESTIO CXLIII.

Virum, & qua vnione corpus Christi vnitur accidentibus eucharisticis?

1. **V**idetur corpus non vniri physicè accidentibus eucharisticis, primo, quia ad saluandum, quod Christus subter accidentibus, non est necessaria hæc vnio; ergo &c.

2. Secundo si daretur hæc vnio, deberet recipi tamquam in subiecto, non solam in accidentibus eucharisticis, sed etiam in corpore Christi; sed quando vnio recipitur in aliquo subiecto, etiam forma, quæ per talem vnionem vnitur, recipitur in eodem subiecto; ergo accidentia eucharistica reciperentur in corpore Christi tamquam in subiecto, quod est absurdum, siquidem accidentia eucharistica non sunt in subiecto.

3. Respondeo corpus, & sanguinem Christi succedere quidem substantiæ panis, & vini, sed non quoad omnia munera. Substantia enim panis antè consecrationem exercebat munus subiecti sustentatiui, cui accidentia inhærebant, & tribuebant suos effectus forma-

M m les

les primarios albi, rotundi &c. sed Christus non exercet munus subiecti sustentatiui, cui accidentia inhaerent, & tribuant suos effectus formales primarios: siquidem accidentia eucharistica non subsistentur ab vilo subiecto, nec tribuant Christo suos effectus formales primarios albi, rotundi &c. ergo &c. Licet corpus, & sanguis Christi non succedant substantiae panis, & vini in munere sustentandi & accidentia, tamen succedunt in munere sustentandi accidentibus, ita vt demonstrari possint, dicendo, *Hoc est corpus Christi, hic est sanguis Christi*. Queritur ergo, per quid corpus, & sanguis Christi constituentur demonstrabiliter sub accidentibus, seu speciebus eucharisticis.

4. Scotus in 4. dist. 11. quaest. 6. & quidam alij apud Suarium disp. 47. sect. 3. dicunt corpus Christi substare demonstrabiliter speciebus per hoc praesens, quod sit illis speciebus localiter praesens inseparabiliter ex promissione, qua Deus promisit corpus Christi manferum in loco specierum, quoadiu durat tales species.

Reijcitur haec opinio. Nam si Angelus fieret localiter praesens speciebus consecratis, cum voluntate, & promissione nunquam se ab ijs separandi, quamdiu durat, non posset demonstrari, dicendo, *hoc est Angelus*, nec posset dici, quod manducando species, manducarem Angelum; ergo vt corpus Christi ita substet speciebus, vt possit demonstrari, dicendo, *hoc est corpus Christi*, & vt possit manducari, manducando species, non sufficit, vt sit illis localiter praesens inseparabiliter ex promissione, vt Scotus docet.

5. Suarius disp. 43. sect. 3. docet corpus Christi substare speciebus demonstrabiliter per hoc, quod sit localiter praesens inseparabiliter speciebus, & praeterea per hoc, quod per potentiam obedientialem actiue conseruet accidentia separata a subiecto.

6. Reijcitur. Nam si Deus influxu creativo conseruaret accidentia olei ex. gr. separata a subiecto, non posset demonstrari, dicendo, *hoc est Deus*, & tamen Deus esset illis accidentibus praesens, eaque conseruaret separata a subiecto; ergo vt corpus Christi substet demonstrabiliter accidentibus, non sufficit, vt sit illis localiter praesens, eaque conseruet separata a subiecto.

7. Cardinalis de Lugo disputatione 6. docet Christum substare demonstrabiliter accidentibus per illa duo quae ponit Suarius, & praeterea per hoc, quod accidentia habeant virtutem quamdam velut magneticam supernaturalem retinendi sub se corpus Christi, illudque trahendi, quocumque mouentur.

8. Dicendum contra tres istas sententias cum S. Thoma in 4. dist. 11. art. 1. ad 1. Cajetano 3. parte quaest. 75. art. 1. Autcolo, Capricolo, Paludano, Soto, Cardinali Alano lib. 1. de eucharistia cap. 34. 35. 36. & 37. Belarmino lib. 3. de eucharistia, cap. 18. & alijs,

quos refert Suarius disp. 47. sect. 3. Quos sequuntur plures recentiores: corpus Christi constituitur sub speciebus eucharisticis per veram, & physicam vnionem cum speciebus quae vnio quia difficile intelligitur, & explicatur, a citatis auctoribus dicitur ineffabilis & incomprehensibilis.

9. Probatur primo auctoritate. Nam aperte hoc est de consecratione, dist. 2. ex Augustino relato in sententia Prospero dicitur hoc est, quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scilicet ecclesiae approbare, visibili elementorum specie, & invisibili. *Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine, sicut Christi persona constat, & conficitur Deo, & homine*; sed Christus constat Deo, & humanitate physice vnitis; ergo eucharistia constat corpore, & sanguine Christi, ac speciebus physice vnitis. Rufinus S. Gregorius relatus a Magistro in 4. dist. 11. dicit: *quis fidelium habere debet possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocatos aperiri, summa, & ima sociari, vnio quae ex invisibilibus, & visibilibus fieri: sed vnio per physicam vnionem, & non per solam praesentiam localem, neque per virtutem magneticam; ergo &c.*

10. Probatur secundo. Nam ante consecrationem substantia panis substabat demonstrabiliter accidentibus per vnionem realem, & physicam; ergo post consecrationem corpus, & sanguis Christi debent loco panis substare accidentibus per proportionalem vnionem realem, & physicam. Porro haec vnio est modus distinctus a corpore Christi, & accidentibus. Nam corpus Christi, & accidentia possunt existere, & esse localiter praesentia absque eo, quod physice vniantur; ergo vnio per vnionem distinctam.

11. Queritur, vtrum haec vnio recipiatur tamquam in subiecto, non solum in accidentibus, sed etiam in corpore Christi.

Respondeo cum pluribus recentioribus quod recipitur solum in accidentibus, tamquam in subiecto, ad corpus autem Christi pure terminatur, proportionaliter, ac quales de Incarnatione diximus vnionem hypostaticam recipi in sola humanitate, tamquam in subiecto, ad Verbum autem diuinum pure terminari, & sicut multi in philosophia dicunt vnionem animae rationalis cum corpore recipi in solo corpore, ad animam autem pure terminari. Et quidem licet Cajetanus 3. p. quaest. 5. art. 2. videatur de hoc esse dubius, tamen S. Thomas in 4. dist. 1. quaest. 2. art. 3. quaestiuicula 1. ad 3. videri hoc satis esse praesens docuisse, cum dicit, quod secundum regulam traditam in 1. dist. 16. relatio ordinis est secundum rem in ipso pane, qui mutatur, non autem in corpore Christi, nisi secundum rationem termini, quia ipsum immutatum manet; ergo ex proportionali ratione relationis vnionis realiter erit in solis speciebus, non autem in corpore Christi.

12. Probatur primo: nam forma, quae vn-

vnitur alicui per vnionem in eo instrinsecè receptam, tamquam in subiecto, recipitur in tali subiecto, vt patet inductione vniuersalissima; sed accidentia vnirentur corpori Christi per vnionem instrinsecè receptam in corpore Christi, tamquam in subiecto; ergo accidentia eucharistica essent in corpore Christi, tamquam in subiecto, quod est falsum: siquidem accidentia eucharistica non sunt in subiecto.

13. Probatur secundo: nam subiectum exigit, vt vbi cumque ipsum est, ponatur forma, quæ est in illo; ergo si vnio Christi cum accidentibus esset in corpore Christi, tamquam in subiecto, in omnibus altaribus, in quibus est corpus Christi, deberet poni vnio cum omnibus accidentibus, cum quibus corpus Christi vnitur, & sic replicari deberent omnia accidentia, quod est absurdum. Ex eo, quod vnio eucharistica, cum sit modus, debeat esse in aliquo subiecto, ac non possit esse in corpore Christi, sequitur, quod sit solum in accidentibus eucharisticis, tamquam in subiecto adæquato.

14. Potest quæri, vtrum vnio ita terminetur ad corpus Christi, vt sit illi instrinseca, vel extrinseca. Probabilius est, quod sit instrinseca, & quod Christus instrinsecè vnatur accidentibus, & aliquo pacto per accidentia perficiatur. Neque enim hoc repugnat statui corporis gloriosi. Corpus enim gloriosum potest moueri, & sic recipere motum localem, quo instrinsecè perficiatur; potest mutare situm &c. ergo potest etiam acquirere vnionem cum accidentibus, & proportionaliter perfici, ac perficitur per motum, situm &c.

15. Ad 1. patet ex dictis.

16. Ad 2. nego maiorem. Dictum est enim vnionem recipi in solis accidentibus, tamquam in subiecto, ad corpus Christi pure terminari.

QVÆSTIO CXLIV.

Vtrum, & quo pacto corpus Christi sit simul in omnibus locis, in quibus est Eucharistia?

S. Th. qu. 76. art. 5. 6.

Videtur corpus Christi esse in loco specierum Eucharisticarum per vocationem distinctam ab vocatione specierum, & receptam in corpore Christi, tamquam in subiecto, vt docet Suarius disp. 47. sect. 2. & Cardinalis de Lugo disp. 5. sect. 7. & alij. Nulla enim res potest esse in loco, nisi per vocationem in ipso receptam, ideoque in composito tot sunt vocationes, quot entitates etiam penetrata; sed corpus Christi est in loco specierum; ergo &c.

Tom. III.

Respondeo ex eo, quod corpus Christi sit realiter in eucharistia, sequitur, quod sit in omni loco, in quo est eucharistia; sed eucharistia simul est in pluribus locis; ergo corpus Christi eodem tempore est sacramentaliter in pluribus locis, & ita est sacramentaliter in eucharistia, vt eodem tempore sit in celo per suam realem præsentiam, & vocationem naturalem. Hinc Viclefus apud Thomam Valdensem lib. 2. de sacramentis, cap. 72. & 73. Calvinus lib. 4. institutionum, cap. 17. Petrus Martyr contra Gardinerum obiecto 10. & sequentibus vsque ad 106. & Theodorus Beza lib. de Cæna Domini, sumperunt occasionem impugnandi realem præsentiam corporis Christi in eucharistia. Impossibile enim est, inquit, vt corpus eodem tempore sit in pluribus locis.

2. E conuerso non solum omnes catholici, sed etiam Lutherani, alijque hæretici, qui contra sacramentarios docent corpus Christi esse realiter in eucharistia, fatentur diuina virtute posse corpus Christi eodem tempore esse sacramentaliter in pluribus locis, vel ita, vt in vno loco sit naturaliter, in alijs sacramentaliter: & hoc est de fide ipso, quod est de fide præsentia realis corporis Christi in eucharistia. Verum catholici diuiduntur in duas classes. Scotus in 4. distinct. 10. quæst. 2. Richardus eadem distinct. quæst. 2. Gabriel, Marsilius, & alij, quos referunt, & sequuntur Bellarm. lib. 3. de Eucharistia, cap. 3. & Suarius disp. 48. sect. 4. & plures alij recentiores, dicunt non solum posse corpus diuinitus poni in pluribus locis sacramentaliter, vel in vno quantitatiuè, in alijs sacramentaliter, sed etiam posse poni simul in pluribus locis quantitatiuè. At S. Thomas 3. parte quæst. 76. art. 3. ad 3. & in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 1. S. Bonaventura in 4. dist. 49. 2. parte distinctionis, art. 2. Egidius, Durandus, Capreolus, Ferrariensis, & alij, quos refert, & sequitur Vasquez disp. 189. cap. 4. docent non posse corpus poni simul in pluribus locis quantitatiuè, & circumscriptiuè, sed solum sacramentaliter, vel in vno loco quantitatiuè, in alijs sacramentaliter; & hanc sententiam ego secutus sum quæst. 28. Physicæ: & quia hæc quæstio disputari solet in Philosophia, non est hic examinanda.

3. Quæritur, vtrum corpus Christi sit in loco accidentium per vocationem distinctam ab vocatione accidentium, & receptam in corpore Christi, tamquam in subiecto?

Respondeo cum Patre Vasquez disput. 190. cap. 8. alijsque ab ipso relatis contra Suarium, & alios relatos in ratione dubitandi, corpus Christi esse in loco specierum, non per vocationem receptam in ipso corpore Christi, sed per hoc præcisè, quod corpus Christi vnatur speciebus existentibus in loco per vocationem receptam in quantitate specierum, siue accidentium.

M m 2

4. Pro

4. Probatur: Vt enim dixi quæst. 27. Physicæ, in responsione ad 9. eo ipso, quod quantitas materiæ est in loco per vocationem receptam in tali quantitate, & essentialiter affixam ipsi, quidquid vnitur tali materiæ, vel tali quantitati, per eandem vocationem constituitur formaliter in tali loco: ex. gr. eo ipso, quod quantitas mei corporis est in hoc loco per vocationem in ipsa receptam, mea anima vnitur meo corpori, mea anima est in eodem loco, neque ad hoc vt sit in tali loco, indiget alia vocatione recepta in ipsa mea anima; sed corpus Christi vnitur quantitati, aliisque accidentibus eucharisticis, quæ quantitas est in loco per vocationem in ea receptam; ergo corpus Christi per hanc ipsam vocationem constituitur in loco, in quo est quantitas, & alia accidentia, nec indiget alia vocatione recepta in ipso corpore Christi. Confirmatur: nam per hanc sententiam multò facilius explicatur mysterium eucharistiæ, vt iam patebit.

5. Infertur primo corpus Christi solum per accidens esse in loco accidentium eucharisticorum. Ratio est, quia illud est in aliquo loco per se, quod vocationem recipit in se, vel in sua quantitate, qua est quantum: illud autem, quod neque recipit vocationem in se, neque in sua quantitate, qua est quantum, sed solum est in loco, quia vnitur corpori, vel quantitati, in qua recipitur vocatio, est in loco solum per accidens, eo pacto, quo quia anima rationalis est in loco purè, quia vnitur corpori, quod in sua quantitate recipit vocationem, est in loco solum per accidens; sed corpus Christi est in loco accidentium purè, quia vnitur quantitati, & alijs accidentibus eucharisticis; ergo &c.

6. Infertur secundo, quod cum mouentur species eucharisticæ, corpus Christi mouetur per accidens. Ratio est, quia corpus Christi non recipit motum in se, neque in sua quantitate, sed solum mouetur motu recepto in quantitate specierum eucharisticarum, quibus vnitur.

7. Infertur tertio corpus Christi, motis speciebus, moueri localiter sine vlla sui mutatione intrinseca. Probatur: nam ita mouetur localiter, vt motus recipiatur solum in speciebus vnitis corpori Christi.

8. Infertur quarto, corpus Christi esse totum in toto loco specierum, & totum in qualibet parte talis loci. Probatur: nam corpus Christi vnitur totum totis speciebus, & totum singulis partibus specierum, vt magis explicabitur sequenti quæst. ergo eo ipso est totum in toto loco specierum, & totum in singulis partibus talis loci, eo pacto, quo quia anima rationalis vnitur tota toti corpori, & tota singulis partibus corporis, est tota in toto corpore, & tota in singulis partibus corporis.

9. Infertur quinto, partes corporis Christi inuicem penetrari per accidens, non rem per se. Ratio est, quia illa per se penetrantur, quæ per se sunt in eodem loco, vt recipiant vocationes inuicem penetratas; sed partes corporis Christi, puta caput, & pedes non sunt per se, sed solum per accidens in eodem loco, ac non recipiunt vocationes penetratas, sed solum vnuntur iisdem speciebus, & sic sunt per accidens in loco talium specierum; ergo &c.

10. Infertur sexto, neque de potentia absoluta corpus Christi posse vniri speciebus sicut de facto vnitur, quin sit per accidens in loco specierum, & localiter moueatur, cum mouentur species. Ratio est, quia corpus Christi est in loco specierum per hoc formaliter, quod vnitur speciebus existentibus in tali loco; sed posita tota causa formaliter, non potest non sequi effectus formalis; ergo implicat, vt corpus Christi sit vnium speciebus existentibus in loco, & non existant tali loco. Ex proportionali ratione quæstione 17. Physicæ in responsione ad quintum dixi implicare, vt accidentia sint in subiecto existente in aliquo loco, & non sint in tali loco.

11. Infertur septimo vnionem accidentalem, qua corpus Christi vnitur speciebus, esse supernaturalem quoad substantiam, vocationem autem, qua corpus Christi existit in loco specierum, non esse supernaturalem quoad substantiam. Probatur: nam illud est supernaturale quoad substantiam, quod in nullo casu potest produci naturaliter: illud est naturale, quod potest naturaliter produci; sed vnio, qua corpus Christi, & singule eius partes vnuntur speciebus, & singule partibus earum, in nullo casu potest produci naturaliter; vnicatio autem specierum potest produci naturaliter, imò de facto fuit naturaliter producta; ergo &c.

12. Infertur octauo corpus Christi esse in loco specierum præsentia, non circumscriptiua, neque propriè definitiua, sed sacramentali. Probatur: nam illud est in loco circumscriptiue, seu quantitatiue, quod secundum totam quantitatem, & magnitudinem est in toto loco, secundum partes magnitudinis est in partibus loci, puta secundum dimidium magnitudinis est in dimidio loci, secundum tertiam partem magnitudinis est in tertia parte loci; illud dicitur esse in loco definitiue, quod totum est in toto loco, totum in singulis partibus loci, ita vt non sit extra talem locum, eo pacto, quo tota anima rationalis, vt potè indiuisibilis, est in toto loco corporis, & tota in singulis partibus talis loci, vt non sit extra talem locum; sed totum corpus Christi est quidem in toto loco specierum, & totum in qualibet parte talis loci, sed ita, vt sit etiam extra talem locum, in cælo nimirum, & in alijs altaribus; ergo corpus Christi est in loco specierum

ierum, non circumscriptiuè, neque definitiuè, sed modo quodam excellentiori, qui potest dici sacramentalis, vt docet S. Thomas 3. parte quæst. 76. art. 5. in corpore, ad primum. Adde, quod sicut eo ipso, quod anima rationalis est in loco corporis per accidens per vocationem corporis, per eandem vocationem corpus est in loco circumscriptiuè, & quantitativè, anima autem est in loco definitiuè, sic eo ipso, quod corpus Christi est in loco specierum per accidens per vocationem specierum, per eandem vocationem species sunt in loco circumscriptiuè, corpus autem Christi est in loco sacramentaliter.

13. Ad argumentum patet ex dictis aliquas res posse esse in loco per vocationem non receptam in ipsis.

QVÆSTIO CXLV.

Utrum totus Christus sit sub singulis speciebus ex vi verborum, vel per concomitantiam?

S. Th. qu. 76. art. 1. & 2.

1. Videtur sub speciebus panis non esse totus Christus, sed solum corpus Christi, non autem sanguis, & sub speciebus vini esse solus sanguis, non autem corpus. Eatenus enim sub speciebus panis vna cum corpore deberet per concomitantiam esse etiam sanguis, quatenus quæ sunt vnita, exigunt, vt vbicumque est vnum, sit etiam aliud; sed hoc est falsum: nam anima rationalis licet vnita sit capiti, non exigit, vt vbicumque est anima, sit etiam caput: siquidem anima est in pede, & non exigit, vt etiam in pede sit caput: Verbum est vnitum humanitati, & tamen non exigit, vt vbicumque est Verbum, sit etiam humanitas Christi: siquidem Verbum per immensitatem est vbique, & tamen non exigit, vt humanitas Christi sit vbique; ergo &c.

2. Respondeo, quod ex recentioribus hæreticis sacramentalij, vt potè qui asserunt corpus, & sanguinem Christi in signo tantum, non autem re ipsa esse in eucharistia, panis autem est signum solius corporis, vinum est signum solius sanguinis, consequenter dicunt sub speciebus panis esse, hoc est significari, non totum Christum, sed solum corpus, sub speciebus vini esse, hoc est significari, non totum Christum, sed solum sanguinem, vt videri potest apud Calvinum lib. 4. Institutionum cap. 17. §. 18. 35. & 49. Ex Lutheranis, qui admittunt realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, aliqui negant sub speciebus panis esse per concomitantiam etiam sanguinem, & totum Christum, sub speciebus vini

cum sanguine esse etiam corpus, & dicunt hanc concomitantiam esse diabolicum inuentum. Alij, vt Breatius in confessione Vuitembergensis art. de Eucharistia, & omnes Vbiquetarij fatentur sub vtraque specie esse totum Christum. Lutherus aliquando affirmat, aliquando negat totum Christum esse sub vtraque specie. Videri potest Bellarminus lib. 4. de Eucharistia, cap. 21. & Vasquez disp. 180.

3. Contra relatos errores de fide est, & definitum in Concilio Constantiensi, sess. 13. in Concilio Florentino in instructione ad Armenos, & in Tridentino sess. 13. cap. 3. & sess. 21. cap. 3. totum Christum esse sub vtraque specie.

Hæc veritas probatur primo ex Scriptura, & Patribus. Primo enim 1. Ioan. 4. dicitur contra Ebionem, qui soluebat Christum negans eundem esse Deum simul, & hominem: *Omnis, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus*; sed hoc valet vniter contra eos, qui soluant vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate, vel vnionem naturalem corporis cum anima Christi, ideoque Irenæus lib. 3. cap. 18. Augustinus tractatu 6. in epistolam Ioannis, Leo epistola 10. & alij Patres vtuntur eo testimonio contra omnes Hæreticos quomodocumque soluentes Christum; qui autem dicunt corpus Christi esse in Eucharistia sine anima, & sanguine, aperte solunt Christum; ergo &c. Secundo Ioannis 6. Christus dicit, *qui manducat me, viuet propter me*; sed Christus manducatur solum sub speciebus panis; ergo sub speciebus panis manducatur totus Christus. Tertio, vt insinuat Tridentinum sess. 13. cap. 3. ad Romanos 6. dicitur *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*; ergo post resurrectionem Christi in nullo loco est sine anima, & sanguine, alioquin ibi esset exanime, & exanguis; ergo neque in Eucharistia est sine anima, & sanguine; cum autem corpus Christi subsistat per substantiam Verbi, nullibi est anima sine substantia Verbi, ac proinde nullibi est sine diuinitate, quæ identificatur cum substantia Verbi, ac nullibi est sine tota Trinitate, quæ identificatur cum diuinitate, ac proinde tota Trinitas speciali quodam modo est in Eucharistia per concomitantiam. Eandem veritatem ex consensu omnium Patrum probat Bellarminus lib. 4. de Eucharistia cap. 21. Ex quibus patet præsentiam totius Christi sub vtraque specie non esse inuentum Scholasticorum, vt mentiuntur hæretici, sed esse dogma fidei traditum à Sanctis Patribus.

4. Probatur secundo eadem veritas ratione. Corpus enim Christi in eucharistia debet habere secum omnia, cum quibus ita vnitur, vt exigit ea deferre vbicumque est: sed corpus Christi ita est vnitum animæ, sanguini, ac diuinitati, vt exigit ea deferre, & habere secum, vbicumque est, & similiter sanguis

ita

ita vnitur corpori, vt exigit corpus habere, vbiicumque est; ergo &c.

5. Debet aduerti, quod non eo ipso, quod duo vniuntur, vtrumque mutuo exigit habere aliud, vbiicumque est: siquidem aliquando vnum tantum exigit habere aliud, vbiicumque est, aliud id non exigit: ex. gr. caput hominis ita vnitur animae rationali, vt caput debeat habere animam, vbiicumque est caput, anima autem ita vnitur capiti, vt non exigit habere caput, vbiicumque est anima: siquidem anima est etiam in pede, & tamen non exigit, vt caput sit in pede. Proportionaliter Verbum, & humanitas Christi ita vniuntur, vt humanitas exigit habere Verbum, vbiicumque est humanitas, Verbum autem non exigit, vt humanitas sit, vbiicumque est Verbum. Ad probandum igitur totum Christum esse sub vtraque specie, non debet assumi, quod cum duo vniuntur, vbiicumque est vnum, debet esse aliud (hoc enim principium vniuersaliter sumptum est falsum) sed debet assumi, quod cum aliquid vnitur ita alteri, vt exigit illud habere vbiicumque est, si ponitur in aliquo loco, debet illud aliud secum in eo loco habere, ac deferre: sed corpus ita vnitur animae, sanguini, ac diuinitati, vt manente hac vnione, debeat illa habere, vbiicumque est corpus; ergo &c.

6. Addo primo, quod quia anima rationalis est in loco corporis solum per accidens, per hoc nimirum, quod sit vnita corpori existenti in loco, eo ipso, quod corpus Christi ponitur in eucharistia, etiam anima ponitur in eucharistia, ideoque implicat, vt corpus Christi ponatur in eucharistia sine anima sibi vnita. Ex opposita ratione, quia sanguis est in loco, non per vbiicationem corporis, sed per vbiicationem propriam receptam in ipso sanguine, posset de potentia absoluta sub speciebus panis poni corpus sine sanguine, sed non posset connaturaliter.

7. Addo secundo, quod quia corpus Christi vbiicumque est, exigit habere secum, non solum sanguinem, sed etiam alios humores, & omnia accidentia independētia à loco, ideo sub specie panis vna cum corpore existunt, non solum sanguis, sed etiam alij humores, & omnia accidentia independentia à loco. Quia rursus corpus exigit secum habere, ac deferre etiam aerem, quem continet intrā pedus, & intrā alias concauitates, probabile est, quod corpus Christi in eucharistia habeat secum etiam talem aerem, vt docet Suarius disp. 51. sect. 1. in fine.

8. Addo tertio, quod non solum S. Thomas 3. p. quest. 76. art. 1. & cum eo omnes theologij, sed etiam Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. docet ita totum Christum esse sub vtraque specie, vt sub speciebus panis corpus quidem sit ex vi verborum, sanguis autem, anima, & diuinitas sub specie panis non sit ex vi verborum, sed vi naturalis connexionis, & concomitantiae; sub speciebus

autem vini, sanguis sit ex vi verborum, corpus autem, anima, & diuinitas sint vi naturalis connexionis, & concomitantiae. Iste existimo contra Suarium disp. 51. sect. 2. non solum esse de fide, quod totus Christus sit sub vtraque specie, sed etiam, quod corpus sit sub specie panis ex vi verborum, sanguis, anima &c. propter naturalem connexionem, & concomitantiam.

9. Sed quæres primo, quid sit aliquod contineri sub speciebus ex vi verborum, vel solum per concomitantiam?

Respondeo, quod illud dicitur esse sub speciebus ex vi verborum, quod verba consecrationis formaliter significant esse sub speciebus, ita vt eo ipso, quod non esset sub speciebus, verba falsificarentur, illud dicitur esse sub speciebus vi solius connexionis, & concomitantiae, quod verba non significant esse sub speciebus, sed solum ponitur sub speciebus, quia est connexum cum eo, quod verba significant; sed verba, *hoc est corpus meum*; significant sub speciebus panis esse corpus Christi, ita vt eo ipso, quod sub speciebus panis non esset corpus, falsificarentur: at non significant sub speciebus panis esse sanguinem, animam, & diuinitatem; ergo sub speciebus panis ex vi verborum est solum corpus Christi, sanguis autem, anima, & diuinitas sunt per concomitantiam; & ex proportionali ratione sub speciebus vini ex vi verborum est solus sanguis Christi, corpus, anima, & diuinitas per concomitantiam, & propter connexionem cum sanguine. Hinc sequitur, quod si sanguis, & anima non essent vnita cum corpore Christi, non ponerentur sub speciebus panis, & si corpus, & anima non essent vnita cum sanguine, non ponerentur sub speciebus vini; & quia in triduo mortis Christi anima Christi erat separata à corpore & sanguine, ideo si in triduo mortis consecrata fuisset eucharistia, neque sub speciebus panis, neque sub speciebus vini fuisset anima Christi, vt docent communiter theologij, & insinuat S. Thomas 3. p. quest. 81. art. 4. ad 3. Ex proportionali ratione sub speciebus panis cum corpore Christi non fuisset ille sanguis, qui erat separatus à corpore. E conuerso, quia in triduo mortis Verbum non fuit separatum à corpore, & sanguine Christi per resurrectionem reuocando, in illo triduo, tūm sub speciebus panis, tūm sub speciebus vini fuisset per concomitantiam speciali modo Verbum triduum.

10. Quæres secundo, quid intelligatur nomine corporis, quod ponitur sub speciebus panis vi verborum?

Respondeo plures esse sententias, quae videri possunt apud Suarium disp. 51. sect. 1. & apud Vasquez disp. 186. cap. 1. Gabriel, & alij dicunt intelligi solam materiam primam Durandus, Caietanus, & alij dicunt intelligi rationem communem corporis. Henricus dicit intelligi materiam cum forma corporis.

tatis, & cum formis partialibus carnis, ossium. Hec ut dicitur intelligi corpus viuum constitutum per animam; ex quo sequeretur contra Tridentinum sub speciebus panis poni animam ex vi verborum.

11. Contra has sententias dicendum cum Suariorum disp. 51. sect. 3. & cum Vasquez disp. 186. cap. 3. qui pro se afferunt S. Thomam 3. p. quæst. 75. art. 6. ad 5. in verbis consecrationis, nomine corporis intelligitur corpus humanum Christi constans ex carnibus, ossibus, aliisque partibus organicis, abstrahendo ab hoc, quod sit corpus viuum constitutum per animam, quæ est forma corporis viui, vel sit corpus mortuum constitutum per formam cadauericam, quæ est forma constitutiua corporis mortui.

12. Probat: nam illud intelligitur, & significatur per verba consecrationis, quod poni debet sub speciebus panis, ad hoc, vt verificentur verba: sed vt verificentur verba, debet poni sub speciebus panis corpus humanum Christi constans ex carne, & ossibus &c. abstrahendo ab hoc, quod sit viuum, vel mortuum, ideoque verba verificentur, seu sit viuum seu mortuum; ergo &c.

13. Hinc sequitur sub speciebus panis corpus in quantum viuum non poni ex vi verborum, sed solum per concomitantiam, siquidem ad verba verificanda non requiritur, vt corpus illud sit viuum. Ex proportionali ratione si eucharistia fuisset consecrata in triduo mortis, corpus Christi, in quantum mortuum fuisset positum sub speciebus panis, non ex vi verborum, sed per concomitantiam. Nam cum de facto esset mortuum, exigeret poni sub speciebus vt mortuum, & cum forma corporis mortui.

14. Dices. Actio, qua de facto in eucharistia ponitur corpus Christi, ponitur ex vi verborum: sed per illam actionem sub speciebus panis ponitur corpus Christi vt viuum; ergo corpus Christi vt viuum ponitur sub speciebus panis ex vi verborum, ac proinde anima, qua constituitur viuum, ponitur sub speciebus panis ex vi verborum.

Respondeo, distingo maiorem: actio illa, in quantum abstrahit ab hoc, quod ponat sub speciebus corpus viuum, vel mortuum, ponitur ex vi verborum, concedo: in quantum est actio ponens corpus viuum, nego; distingo eodem pacto maiorem; & nego consequentiam. Ad verificanda verba non requiritur actio ponens sub speciebus panis corpus Christi vt viuum; ergo actio, in quantum ponit sub speciebus panis corpus Christi vt viuum, non ponitur ex vi verborum, sed ponitur, quia de facto corpus Christi est viuum. Videri possunt Suarius, & Vasquez locis citatis.

15. Ad argumentum in contrarium patet ex dictis. Totus enim Christus ponitur, sub speciebus panis, non quia omnia, quæ sunt vnita, mutuo exigant, vt vbiicumque est vnum,

sit aliud, sed quia corpus Christi exigit, vt vbiicumque est, sit etiam anima, sanguis, diuinitas, & totus Christus, vt explicatum est.

QVAESTIO CXLVI.

Verum Christus sit totus in totis speciebus, & totus in qualibet parte specierum?

S. Tho. quæst. 76. art. 3. & 4.

1. Videtur Christus non esse totus in qualibet parte specierum, antequam partes separantur; primo quia Tridentinum sess. 13. can. 3. dicit, si quis negauerit in venerabili sacramento eucharistia sub vnaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit; ergo implicat ante separationem non esse totum Christum sub singulis partibus specierum.

2. Secundo si totus Christus esset sub singulis partibus specierum, cum partes specierum sint minores, & minores in infinitum, deberet esse totus sub infinitis partibus, ac proinde deberet illis vniri per infinitas vniones, quod est absurdum.

3. Tertio deberet etiam esse sub indiuisibilibus; sed cum species diuiduntur, loco diuisibilitatis continuatiuum resultat indiuisibilitatis terminatiua, vt dixi in physica qu. 42. ergo sine noua consecratione inciperet esse de nouo sub talibus indiuisibilibus terminatiuis, quod est absurdum.

4. Quarto Christus, cum sit sub speciebus loco panis, non debet esse sub partibus ita paruis, vt sub ijs non posset conseruari substantia panis; ergo debet solum esse sub partibus determinatae magnitudinis, sub quibus posset conseruari substantia panis, vt docuit Alex. 4. p. quæst. 10. memb. 7. art. 3. cui videtur consentire S. Bonauen. in 4. dist. 10. 1. p. distinctionis, art. vnico, quæst. 5.

5. Respondeo de fide est ex Tridentino sess. 13. & Can. 3. citato in primo argumento, & ex Florentino in instructione Armenorum, quod si post consecrationem, species panis, & vini diuidantur, facta separatione, totus Christus continetur sub singulis partibus separatis. Probat hæc veritas ex ipso facto Christi. Vt enim patet ex illis verbis Lucæ 22. & accepto calice gratias egit, & dixit, diuidite inter vos, Christus prius consecrauit calicem, deinde dedit Apostolis diuidendum: sed Apostoli sub parte specierum viui, quam sumpserant, totum Christum sumpserunt; ergo post diuisionem, & separationem specierum ante consecrationem, totus Christus manet sub singulis partibus.

6. Dubitatur, vtrum etiam cum hostia est continua, totus Christus sit in tota hostia, & totus in qualibet parte hostie, an potius totus

totus sit in tota hostia, & pars in parte, vt videtur docuisse Altifiodorensis lib. 4. summa; tractatu 5. cap. 4. & Albertus in 4. dist. 13. art. 11. licet Suarius disp. 52. sect. 2. & Vasquez disp. 186. cap. 2. eos putent immunes ab hoc errore.

7. Dicendum cum communi sententia: etiam cum hostia est continua, Christus est totus in tota hostia, & totus in qualibet parte hostia.

Probatur primo: nam vix est intelligibile, & parum est decens, quod Christus sit diuisibiliter totus in tota hostia, & pars in singulis partibus hostia; ergo debet esse indiuisibiliter totus in tota, & totus in singulis partibus hostia. Probatur antecedens. Quo pacto enim, diuisa hostia in particulas minimas, corpus Christi ita condenseretur, vt esset totum diuisibiliter in ea minima particula? Quo pacto, si consecraretur hostia maxima, corpus Christi ita rarefieret, vt esset diuisibiliter in hostia maxima? Quo pacto si consecraretur hostia longissima, & subtilissima ad modum filii, corpus Christi extenderetur diuisibiliter in figuram filii?

8. Probatur secundo: nam ex dictis de fide est, quod cum hostia consecrata diuiditur, totus Christus est in singulis partibus separatis; ergo etiam ante diuisionem totus erat in singulis illis partibus, siquidem per diuisionem non acquirit nouam presentiam, & vnionem, quam antecedenter non haberet. Proportionaliter cum species vini consecrata in duobus calicibus coniunguntur in vno calice, nulla pars specierum amittit presentiam Christi; sed ante Christus erat in singulis partibus discontinuis; ergo totus remanet in iisdem partibus continuis.

9. Quares, vtrum sit de fide, quod cum hostia est continua, totus Christus est in singulis eius partibus?

Respondeo negatiue cum Suario disp. 52. sect. 2. & cum Vasquez disp. 188. cap. 3. contra Ledesman, & alios relatos a Suario. Ratio est, quia Florentinum, & Tridentinum locis citatis, cum definiunt totum Christum esse sub singulis partibus specierum, addunt particulam, facta separatione; ergo noluerunt definire, vtrum ante separationem totus Christus sit sub singulis partibus specierum. Quia tamen hoc secundum inferitur ex illo primo, ideo etiam hoc secundum est ita theologice certum, vt opposita sententia communiter censetur erronea, vel errori proxima.

10. Dicendum secundo cum S. Thoma, & alijs, quos referunt, & sequuntur Suarius disp. 52. sect. 2. & Vasquez disp. 188. cap. 3. contra Alexandrum relatum in 4. argumento: Christus est totus, non solum in singulis partibus specierum determinatae magnitudinis, sed in singulis partibus etiam minoribus, & minoribus in infinitum.

11. Probatur: nam si in aliqua particula hostia consecrata non est totus Christus, vel

in ea est pars Christi, vel nihil est Christi, si solum est pars Christi; ergo Christus in tali particula non est indiuisibiliter, sed diuisibiliter, quod est reiectum concl. 1. si in hac particula minima nihil est Christi; ergo in particula aequali proxima nihil erit Christi, idemque dic de alia, & alia; ergo in tota hostia continua ex talibus particulis nihil erit Christi, quod est contra fidem; ergo cum ex principijs fidei clare inferatur totum Christum esse in singulis particulis etiam minoribus, & minoribus in infinitum, concludit Vasquez loco citato contrariam sententiam posse censi erroream.

12. Dicendum tertio cum Suario disp. 52. sect. 3. & alijs, quos refert contra Scotum in 4. dist. 10. quest. 9. totus Christus est, non solum in partibus diuisibilibus, sed etiam in indiuisibilibus, adeoque in superficiebus, lineis, & punctis specierum, si dantur haec indiuisibilia.

13. Probatur: nam corpus Christi succedit substantia panis; sed substantia panis non solum est in partibus diuisibilibus, sed etiam in indiuisibilibus specierum, ex gr. sub superficie albedinis est proportionalis superficies substantia panis; ergo &c. Confirmatur; nam per consecrationem destruitur solum illa substantia panis, cui succedit corpus Christi; ergo substantia panis, quae est sub indiuisibilibus accidentium, non succederet corpus Christi; talis substantia non destrueretur, adeoque non destrueretur tota substantia panis, quod repugnat Tridentino sess. 13. can. 2.

14. Ad 1. Tridentinum, & Florentinum definitia totum Christum contineri sub singulis partibus specierum, separatione facta, addiderunt illam particulam separatione facta, quia noluerunt definire, vtrum etiam ante separationem totus Christus esset sub singulis partibus, non autem, vt indicarent ante separationem non totum Christum esse sub singulis partibus.

15. Ad 2. si hostia constat ex infinitis partibus minoribus, & minoribus actu distinctis non est absurdum, quod Christus sit totus in illis infinitis partibus per vnionem, & praesentiam proportionaliter constantem ex infinitis partibus actu distinctis. Si autem hostia constaret ex infinitis partibus potentia, non actu distinctis, proportionaliter Christus est in infinitis partibus per vniones, & praesentias solum potentia, non actu distinctas.

16. Ad 3. concedo maiorem, & minorem, & distingo consequens: eum diuiditur hostia, Christus sine noua consecratione incipit esse de nouo sub indiuisibilibus terminatiuis in quibus ante erat potentia, concedo; in quibus ante non erat potentia, nego. Sicut enim diuiduntur species non consecratae, ac pronas loco vnus linea, & superficiei copulatiuae succedunt duae linea, & superficiei terminatiuae substantia panis, quae ante erat actu in vnione, & superficiei copulatiuae, & potentia est in duabus lineis, & superficiei terminatiuis incipit actu esse in duabus lineis, & superficiei

bus terminatiuis; sic cum diuiduntur species consecrata, substantia corporis Christi, quæ adu erat in vna linea, & superficie copulatiua, & potentia erat in duabus lineis, & superficiebus terminatiuis, de nouo incipit adu esse in duabus lineis, & superficiebus terminatiuis absque noua consecratione. Ratio est, quia cum corpus Christi substat accidentibus loco panis, quo ad hoc se habet, sicut se haberet panis. Videri possunt quæ de indiuisibilibus dixi quæst. 41. Physicæ.

7. Ad 4. distinguo antecedens: Christus cum sit sub speciebus loco panis, non debet esse sub speciebus separatis ita panis, vt sub ijs separatis non posset conseruari panis, concedo: non debet esse sub speciebus continuatis ita panis, vt sub ijs separatis non posset conseruari panis, nego: & distinguo eodem pacto consequens. Sicut panis potest conseruari in partibus minoribus, & minoribus infinitum, cum sunt continuæ, non autem cum sunt separata, sic corpus Christi est sub partibus specierum minoribus, & minoribus infinitum, cum sunt continuæ, cum verò sunt separata, est solum sub partibus tantæ magnitudinis, vt sub ijs posset conseruari panis, non autem est in partibus separatis ita panis, vt in ijs non posset conseruari substantia panis.

QVÆSTIO CXLVII.

Virum, & quo pacto in eucharistia remaneant accidentia panis, & vini?

S. Th. qu. 75. art. 5. & tota qu. 77.

1. Videntur non remanere: primo quia Tridentinum sess. 13. cap. 2. docet remanere dumtaxat species; sed nomine specierum non intelliguntur accidentia realia panis, & vini, sed solum aliquid, quod habeat speciem, siue apparentiam panis, & vini, licet non sit panis, neque vinum; ergo &c.

2. Secundo si remanerent accidentia, deberent remanere sine subiecto; sed repugnat, vt accidens remaneat sine subiecto; ergo &c.

Respondeo Alliaccensem relatum à Suariorio disp. 56. art. 1. docuisse, quod quia sensibus non satis discernitur, vtrum in eucharistia dentur vera accidentia panis, & vini, potest probabiliter negari remanere vera, & realia accidentia, & potest asseri solum dari aliquid, quod habeat speciem, siue apparentiam panis, & vini. Affinis est doctrina quorundam philosophorum recentiorum, qui quia putant omnia corpora componi ex atomis, seu corpusculis, ac non dari accidentia realia distincta à substantia atomorum, asserunt nihil reale physicum remanere in eucharistia, species verò, quas Tridentinum sess. 13. art. 2. dicit remanere, nihil aliud esse, quam quasdam

particulas, & quædam corpuscula corporis Christi, quæ seorsim ab alijs possunt excitare omnes sensationes, quas circa Eucharistiam facimus, corpore Christi glorioso ita modificante apparentiam sui, vt sentiantur tantum prædictæ particulae, quæ dum causant apparentiam panis, & vini, dicuntur species panis, & vini. Addunt dici posse conseruari solas species intentionales panis, & vini, ac non conseruari accidentia realia.

3. Contra has opiniones dicendum primo cum S. Thoma quæst. 77. art. 1. alijsque Theologis fere omnibus: in eucharistia remanent accidentia realia panis, & vini, nimirum, quantitas, figura, color, sapor &c. Probat primo. Nam Apostolus 1. ad Corinthios 10. dicit, *Panis, quem frangimus, caro Christi est*; ergo in eucharistia datur aliquid, quod possit frangi; sed substantia panis non remanet, corpus Christi non frangitur, neque franguntur species intentionales; ergo remanet quantitas, & accidentia, quæ verè frangantur. Secundo Tridentinum sess. 13. can. 3. definit remanere species, & facta separatione specierum, sub qualibet parte specierum esse totum Christum; ergo remanet aliquid, quod possit separari, & diuidi; sola accidentia realia possunt separari; ergo &c. Tertio vniformis, & vniuersalis experientia non potest falli, saltem Deus deberet nos de hoc monere, & instruere, ne sequeretur error vniuersalis; sed est vniformis, & vniuersalis experientia, omnium accidentium panis, & vini aequè post, ac ante consecrationem; ergo &c. Quarto secunda ex propositionibus Vniuersitatis damianensis in Concilio Constantiensi sess. 3. est, *accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento*; sed in relatis opinionibus non saluatur accidentia remanere absque subiecto, siquidem species intentionales panis, & vini essent in aere, tamquam in subiecto; ergo &c. Quinto eucharistia debet esse signum sensibile; ergo debet in eo dari aliquid reale sensibile, ac proinde accidentia panis, & vini, cum substantia non remaneant. Hinc sequitur accidentia in eucharistia esse eadem numero, quæ erant in substantia panis, & vini. Assumuntur enim panis, & vinum secundum sua accidentia, vt sint signum Christi sub ipsis latentis, & gratiæ conferendæ; ergo debent remanere eadem numero accidentia. Adde ad conversionem requiri, vt fiat, remanente aliquo, quod sit idem numero.

4. Quæres, vtrum remaneant omnia accidentia realia panis, & vini, an sola accidentia immediatè sensibilia?

Respondeo, quod quia Concilia dicunt remanere solas species, nomine autem specierum videntur solum intelligi immediatè sensibilia, ideò Suarius disp. 56. sect. 1. existimat non esse certum remanere alia accidentia, quam immediatè sensibilia: probabilius tamen esse, quod remanent omnia. Verum vt benè arguit Vasquez disp. 194. si Concilia

mine specierum intellexissent sola accidentia immediatè sensibilia, cum definiunt remanere solas species, definirent remanere sola accidentia immediatè sensibilia; ergo certum esset alia accidentia non remanere, ac proinde non esset probabilius remanere. Dicendum igitur cum Soto in 4. dist. 9. quæst. 1. num. 1. & Vasquez loco citato, nomine specierum intelligi omnia accidentia realia panis, & vini, & omnia remanere, cum non sit maior ratio de his, quam de illis. Confirmatur. Nam ex vi consecrationis sola substantia panis, & vini cum suis modis debet perire, accidentia verò, quibus substabat substantia panis, & vini, debent remanere, vt ijs substet corpus, & sanguis Christi; ergo omnia debent remanere, præsertim cum remaneat quantitas, quæ est subiectum commune reliquorum accidentium, vt iam dicitur.

5. Dicendum secundo: in eucharistia, accidentia panis, & vini remanent absque subiecto, cui inhæreant, & in quo sustententur.

6. Probatur primo: nam inter propositiones Vuiclefi damnatas à Concilio Constantiensi secunda est hæc: *Accidentia panis non remanent sine subiecto in eodem sacramento.*

7. Probatur secundo ex S. Thoma quæstione 77. art. 1. Nam accidentia panis, & vini, quæ remanent, non recipiuntur in substantia panis, & vini, quæ non remanet; non recipiuntur in corpore, & sanguine Christi, quæ non possunt affici accidentibus panis, & vini, præsertim cum sint gloriosa, & impassibilia; non recipiuntur in aere circumstante: siquidem aer retinens sua accidentia propria non potest simul recipere accidentia panis, & vini; ergo. Confirmatur. Nam videmus accidentia panis, dum mouentur, non recipi in aere circumstante, neque cū aere penetrari, sed aërem pellere; sed nullum est aliud subiectum, in quo recipiantur; ergo non recipiuntur in villo subiecto, cui inhæreant, & à quo sustententur.

8. Dicendum tertio cum S. Thoma quæstione 77. artic. 2. aliisque satis communiter. In eucharistia sola quantitas panis, & vini per se existit, ità vt non inhæreat vlli subiecto, alia accidentia recipiuntur in quantitate. Probatur: nam ex dictis quæstione 26. Physicæ alia accidentia recipiuntur immediatè in quantitate; ergo remanente quantitate, debent in illa recipi, ac sola quantitas, quæ immediatè recipitur in substantia, ablata substantia, debet ita remanere, vt non recipiatur in villo subiecto.

9. Probatur secundo. Nam sensibus apparet in Eucharistia dari moles aliqua sensibilis, quanta, & resistens penetrationi, colorata, & alijs accidentibus affecta, qua diuisa, per accidens diuidantur calor, frigus, & alia accidentia, quæ in ipsa sunt, qua localiter mota, moucantur per accidens calor, frigus &c. sed hæc moles est quantitas; ergo

reliqua accidentia recipiuntur in quantitate, ac sola quantitas remanet per se existens, & nulli subiecto inhærens.

10. Dices. Si sola quantitas remanet absque subiecto, non est verum accidentia panis, & vini remanere absque subiecto.

Respondeo, quod sicut licet forma substantialis sit in materia, quia tamen deuenit ad materiam, quæ non est in villo subiecto, dicitur, quod substantia non est subiecto, sic licet alia accidentia panis, & vini sint in quantitate, quia tamen deuenit ad quantitatem, quæ est accidens non existens in subiecto, dicuntur accidentia non esse in subiecto. Cum ergo dicitur accidentia eucharistica non esse in subiecto, non negatur vnum accidens esse in alio, sed solum assertur collectionem accidentium eucharisticorum non esse in villo subiecto.

11. Dicendum quarto cum Caietano, parte quæstione 77. artic. 1. quem sequitur Vasquez disput. 194. num. 16. quantitas panis, & vini in eucharistia per se existit ad modum substantiæ, non per puram negationem inhærentiæ, vt docet Scotus in 4. dist. 11. quæstione 1. quem sequitur Suarius disp. 56. sect. 2. sed per modum positium proportionalem modo positium substantiæ, quo per se existit substantia, vt explicauimus quæstione 13. Physicæ, & in tractatu de Incarnatione quæstione 21. Probatur: nam vt dixi loco citatis, si imperfectior modus existendi est positius, à fortiori perfectior modus existendi est positius; sed modus inhærentiæ, quo accidentia sunt in subiecto, est positius, vt fatentur Suarius, & aduertunt communiter; ergo à fortiori modus existendi est positius. Confirmatur: nam substantia per se existit per modum positium, vt docet Suarius; ergo etiam quantitas supernaturaliter per se existit per modum positium. Fateor hoc secundum argumentum non valere contra Scotum, qui docet substantiam per se existere per negationem inhærentiæ.

12. Dices: est de essentia accidentis, vt exigat recipi in substantia; sed hoc accidens non exigeret recipi in substantia; ergo non esset accidens; sed neque esset substantia; ergo esset chymericum.

Respondeo de essentia accidentis esse, vt exigat recipi in substantia, vel in vice substantia; hic autem modus existit in quantitate, quæ cum per illum constituitur per se existens ad modum substantiæ, constituitur vice substantia, vt iam magis explicauimus.

13. Infertur primo cum Vasquez contra Suarium, quantitatem in eucharistia non conseruari à Deo eadem actione, qua conseruabatur ante consecrationem. Ratio est quia actio creatiua essentialiter differt ab actiua: sed actio, qua quantitas conseruabatur ante consecrationem, erat actioeductiua.

educatur ex potentia subiecti, hoc est substantiæ panis, & vini, & actio, qua conseruatur post consecrationem, est creatiua, qua nimirum conseruatur, ita vt non educatur ex potentia vllius subiecti; ergo &c.

14. Inferitur secundo quantitatem, cum existat ad modum substantiæ, euadere vice-substantiam, & esse principium quod actionum, quæ procedunt immediatè ab accidentibus Eucharisticis, proportionaliter, ac earum actionum principium quod esset substantia panis, & vini, si remaneret sub accidentibus. Euidet etiam quantitas per talem modum per se existendi principium passiuum, ex quo educantur actiones, & alterationes, quibus alterantur accidentia eucharistica. Cum autem accidentia eucharistica ita alterantur, vt sub ijs non conseruaretur substantia panis, & vini, sed corrumperetur per generationem vermis ex. gr. Christus desinit esse sub illis accidentibus, ac Deo sub iisdem reponente materiam primam, ex ipsa educitur, ac generatur forma substantialis vermis. Est enim regula generalis, quod Christus tamdiu remanet sub accidentibus, quamdiu sub ipsis remaneret substantia panis, & vini. Videri possunt S. Thomas quæst. 77. artic. 5. Suarius disp. 57. & Vasquez disp. 196.

15. Ad 1. Concilia nomine specierum intelligunt ea, quæ franguntur, mouentur, sentiuntur &c. sed hæc sunt accidentia realia panis, & vini, non autem accidentia intentionalia; ergo concilia nomine specierum intelligunt accidentia realia panis, & vini.

16. Ad 2. de essentia accidentis non est, vt actu inhæreat subiecto, sed vt exigat inhæerere subiecto, sicut de essentia hominis est solum, vt exigat discurrere, non vt discurrat actu; sed accidentia eucharistica exigunt inhæerere subiecto, licet diuina virtute actu non inhæreant subiecto; ergo retinent essentiam accidentis.

TRACTATUS XX.

De forma Eucharistiæ, seu de verbis consecrationis.

QVAESTIO CXLVIII.

Virum Christus consecraverit eucharistiam iisdem verbis, quibus sacerdotes in Ecclesia consecrant?

1. Videtur Christus prius consecrasset, deinde dixisse, *Hoc est corpus meum*; *Hic est sanguis meus*, ac proinde non consecrasset istis verbis, *hoc est corpus meum* &c. primò, quia vt Christus verè diceret, *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*, id, quod designa-

bat, debebat iam esse corpus & sanguis Christi; ergo antequam Christus diceret, *hoc est corpus* &c. panis, & vinum, alia consecratione debebant esse conuersa in corpus & sanguinem Christi.

2. Secundo, vt colligitur ex Matthæi 26. Marci 24. & Lucæ 22. Christus prius benedixit panem, deinde dixit, *hoc est corpus meum*; sed illa benedictione consecrauit; ergo &c.

3. Tertio Marci 14. dicitur, & accepto calice, *gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes*; & ait illis, *hic est sanguis meus*; ergo prius consecrauit, deditque calicem consecratum discipulis, illique biberunt, deinde dixit, *hic est sanguis meus*.

4. Respondeo S. Thomam 3. p. quæst. 78. art. 1. ad 1. referre tres sententias. Prima Innocentij 3. libro 4. de myst. miss. cap. 6. probabiliter docet, Christum nullis verbis consecrasset, sed vsum suprema potestate, quam habebat, consecrasset sola voluntate, vel solo tactu, vel alio signo, prout voluit. Hanc opinionem secuti sunt plures authores, quos referunt Suarius disp. 58. sect. 1. & Vasquez disp. 187. cap. 1. eamque defendit Catherinus tractatu de hac re, in quo docet Christum consecrasset benedictione, deinde dixisse *accipite, & comedite, hoc est corpus meum*, quæ verba putat non potuisse verificari, nisi antequam proferrentur, id, quod designabatur, esset corpus Christi.

Secunda sententia docet Christum consecrasset aliquibus verbis, sed non illis, quibus dixit, *hoc est corpus meum*, sed aliis, quæ protulit antè, & ab Euangelistis non sunt relata, ideoque à nobis ignorantur.

5. Tertia sententia docet Christum consecrasset verbis, quibus nunc vtimur ad consecrandum, sed illa bis protulisse, primò secretò, & tunc consecrasset, secundo publicè, cum post consecrationem dixit: *Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum*. Præcipuum fundamentum harum sententiarum est, quod alatum fuit in primo argumento.

6. Contrà has opiniones dicendum cum omnibus ferè Theologis, quorum aliqui existimant relatas opiniones post Tridentinum non carere nota temeritatis: Christus consecrauit iisdem verbis semel tantum prolatis, quibus sacerdotes in Ecclesia consecrant.

7. Probatur primò. Nam Tridentinum sess. 13. cap. 1. dicit: *Maiores nostri &c. apertissime professi sunt hoc tam admirabile sacramentum in vltima eana Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis viniq; benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, & suum sanguinem, differens & perspicuis, verbis testatus est*; sed Christus eucharistiam instituit consecratione, qua panem & vinum coquertit in corpus, & sanguinem suum; ergo Christus consecrauit, non benedictione, sed verbis, quibus testatus est id, quod discipulis præbebat, esse corpus & sanguinem suum, dicens: *hoc est corpus meum*; *hic est sanguis meus*.